DE GRAECORUM MEDICIS PUBLICIS

DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

RUDOLFUS POHL
BEROLINENSIS

PROMOTIO SOLLEMNIS HABEBITUR DIE XXIV. M. JUNII MCMV

De opusculo retulerunt

UDALRICUS DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

HERMANNUS DIELS.

Berolini

Typis expressit Georgius Reimer

MCMV.

FRIDERICO HILLERO DE GAERTRINGEN

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

SACRUM

CONSPECTUS CAPITUM.

Libros citatos saepius ita descripsi:

AM. = Mitteilungen des Kaiserl. archäol. Instituts, Athenische Abteilung.
Amer. Journ. = American Journal of Archaeology.
Arch. Anz. vid. Jahrb. d. I.
BCH. = Bulletin de Correspondance Hellénique.
BGU. = Ägyptische Urkunden aus den Kgl. Museen zu Berlin, Griechische Urkunden.
CIG. = Corpus Inscriptionum Graecarum.
CIL. = Corpus Inscriptionum Latinarum.
Ditt. = Sylloge Inscriptionum Graecarum ed. Guilelmus Dittenberger.
Ditt. Suppl. = Orientis Graeci inscriptiones selectae. Supplementum sylloges inscr. Graec. ed. Wilhelmus Dittenberger.
EG. vid. Kaibel.
Galenus K. = Claudii Galeni opera omnia cur. C. G. Kuehn Lipsiae 1821 sqq.
GGA. = Göttingische gelehrte Anzeigen.
Jahrb. d. I. = Jahrbuch des Kais. Deutschen archäol. Instituts. Mit dem Beiblatt Archäologischer Anzeiger.
IG. = Inscriptiones Graecae consilio et auctoritate Academiae Litterarum Regiae Borussicae editae.
JoHSt. vel Journ. of H. St. = The Journal of Hellenic Studies, London.
Inschr. v. Magn. = Die Inschriften von Magnesia am Maeander ed. Otto Kern.
Inschr. v. Olymp. = Olympia, Textband V, Die Inschriften von Olympia edd. W. Dittenberger et K. Purgold.
IvP. = Die Inschriften von Pergamon ed. Max Fraenkel.
K. vid. Galenus.
Kaibel EG. = Epigrammata Graeca ex lapidibus conlecta ed. Georgius Kaibel.
Lebas vel Lebas—Foucart vel Lebas—Waddington = Voyage archéologique en Grèce et en Asie Mineure par Ph. Le Bas. Inscriptions grecques et latines: Tome I (Attique) par Ph. Le Bas, Tome II (Mégaride et Péloponnèse etc.) par Ph. Le Bas et P. Foucart, Tome III (Asie Mineure, textes et explications) par Ph. Le Bas et W. H. Waddington.
Littré = Œvres complètes d'Hippocrate, traduction nouvelle avec le texte grec par E. Littré, Paris 1839 sqq.
Loewy = Inschriften griechischer Bildhauer ed. Emanuel Loewy.
M. Rh. vid. Rh. M.
Mich. = Recueil d'inscriptions grecques par Ch. Michel, Bruxelles 1900.
Μουσ. κ. βιβλ. = Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς ἐν Σμύρνῃ.
OP. vel Oxyrh. Pap. = The Oxyrhynchus Papyri Part I, II, III, IV ed. by B. P. Grenfell and A. S. Hunt, London 1898—1904.
Pap. Oxyrh. vid. OP.
PH. vel Paton—Hicks = The inscriptions of Cos by W. R. Paton and E. L. Hicks, Oxford 1891.
REG. = Revue des études grecques (publiée par l'association pour l'encouragement des études grecques), Paris.
Rev. arch. = Revue archéologique, Paris.
Rh. M. = Rheinisches Museum für Philologie.
SGDI. = Sammlung griechischer Dialekt-Inschriften, herausgeg. von H. Collitz.

Cum Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff et Friderico Hillero de Gaertringen auctoribus medicorum Graecorum titulos colligere coepissem, mox intellexi tanto operi neque tempus neque spatium dissertationi inaugurali statutum neque vires meas nunc quidem satisfacere. Seposito igitur in futurum sylloges illius consilio malui de medicis Graecorum publicis agere; quod collectis plus trecentis medicorum titulis melius me facturum esse spero quam qui adhuc eandem provinciam administraverunt.

Medicos publicos i. e. medicos, qui a re publica conducti civibus aegrotantibus gratis mederentur, apud Graecos fuisse semper notissima res erat. Quamquam in litteris antiquis non multa huius instituti testimonia sunt, quae postquam semel sunt collecta in compendiis repeti solent. Accessit larga titulorum copia, postquam primum a. 1840 Euenoris Acarnanis medici tituli (nunc IG. II 186, 187) in arce Athenarum effossi sunt; papyri nuper in Aegypto repertae alia nova addiderunt. Itaque operae pretium videtur rem denuo tractasse.[1])

---

[1]) Inscriptionibus iam inventis hi viri docti in medicos publicos accuratius uberiusque inquisiverunt:

A. Vercoutre, *La médecine publique dans l'antiquité grecque* Rev. arch. 1880 (N. S. XXXIX), p. 99, 231, 309, 348sqq., a quo quibus in rebus erratum sit demonstravit A. Dechambre, Rev. arch. 1881 (N. S. XLI), p. 52, qui de »medicina publica«, ut dicunt, se ipsum profitetur disseruisse »dans un journal de médecine«, quam ephemeridem non nominatam adhuc non inveni.

P. Girard, *L'Asclépieion d'Athènes,* Paris 1881 (Bibl. des écoles franç., fasc. XXIII). Pars II, cap. II, 2, p. 83.

S. Reinach apud Daremberg-Saglio, *Dictionnaire des antiq. grecq. et rom.* s. v. *Medicus,* cap. XIII (vol. III, 2, p. 1691), ubi quae de tota medicorum Graecorum conditione nota sunt, uberrime exponuntur.

De medicis magis in universum (ut S. Reinach) commentati sunt, tamen etiam de publicis nonnulla attulerunt:

C. Becker, *Charikles,*, ed. Göll III, p. 48sqq. (*Erster Exkurs zur achten Szene: die Ärzte.*)

G. Welcker, *Zu den Altertümern der Heilkunde,* Kleine Schriften III, p. 1—234.

R. Herzog, *Koische Forschungen und Funde,* Anhang 5: »*Die Ärzteschule von Kos*«, p. 200sqq.

Quos omnes infra nomine tantum citabimus.

CAPUT PRIMUM.

QUIBUS TEMPORIBUS MEDICI PUBLICI INTER GRAECOS INVENIANTUR.

§ 1.

DE MEDICIS PUBLICIS VETUSTISSIMIS.

Tradit Herodotus (III 131) Democedem Crotoniatam medicum Calliphontis filium (c. 125), cum Aeginam venisset, anno primo omnes medicos arte sua adeo superasse, ut postero anno medicus publicus factus talentum ex aerario publico acciperet; insequenti anno Athenis minas centum, quarto denique a Polycrate Samiorum tyranno talenta duo accepisse. Ex quibus duo sunt colligenda: cum Herodotus de medicis publice conductis verba faciat tamquam de re notissima, quo tempore scripsit (circa annum 440), institutum medicorum publicorum in civitatibus Graecis solemne fuisse. Ex eis vero quae narrantur cognoscimus saeculo iam sexto exeunte medicos aere publico conduci solitos esse.

Quae narrat Herodotus, Thuriis vel Crotone ipsa eum audivisse verisimile est. Etenim Democedes medicus erat Crotoniensis, et comprobatur mihi patrem, qui civis Cnidius fuerat, cum pontificem Aesculapii eum ibi fuisse Suidas (s. v. Δημοκήδης) referat,[2]) postquam Crotonem venit, ibi munus medicum ut filium

[2]) Pontificem Aesculapii eum fuisse credi non potest, quandoquidem hac aetate medicis nondum ullus erat usus cum Aesculapio et Aesculapiis. Hic nuntius, quem apud Herodotum nondum legis, tum demum enasci poterat, cum Aesculapia florerent et ars medica in eis orta esse putaretur. Sed conferas quae infra scripsi § 2.

esse exsecutum (cf. Krische, *Forsch. zur alten Philos.* I 72; Wachtler, *de Alcmaeone Crot.* 91). Sed num munus medicum, quo et pater et filius Crotone fungebantur, publicum fuerit, dici non potest.

At tamen medicos publicos in Graecia Magna etiam temporibus illis fuisse aliunde comperimus. Diodorus enim e Timaeo tradit (XII 12, 4) Charondam omnes qui ante eum leges scripsissent superasse sapientia, cum ludi magistris mercedem publice dari iuberet; deinde pergit: καὶ τοσοῦτον ὑπερεβάλετο τοὺς πρότερον νομοθετήσαντας δημοσίῳ μισθῷ τοὺς νοσοῦντας τῶν ἰδιωτῶν ὑπὸ ἰατρῶν θεραπεύεσθαι κτλ. Sed quas illo loco Diodorus tradit leges, Thuriorum sunt, qui saeculo quinto, ut saepe tum et postea fiebat, leges Charondae receperunt. Dubitandum igitur est, num vere ante Charondam ipsum, cum Catanae patriae[3]) olim leges condidisset, ab aliis iam legislatoribus de medicis publicis provisum sit. Certum tantum est ab aliis iam ita factum esse, cum Thurii leges quasdam instituerent, quae tum Charondae existimabantur. Sequitur, ut saeculo quinto et fortasse iam sexto medici publici in urbibus Graecis Siciliae et Italiae instituerentur.[4])

Quae cum ita sint, ex coloniis de earum originibus coniecturam nos facere posse arbitramur. Nam est verisimile leges coloniarum non totas ex novo fictas esse, sed quae domi usu magis quam lege constituta erant, in coloniis iam legibus esse definita. Atque de Ionum usu ad ipsum Homerum licet provocare. Antinous enim Ulixe mendico in oppidum Ithacorum introducto pessime fecisse increpat Eumaeum, quod numerum hominum egentium auxisset. Qui respondet (ρ 381 sqq.):

'Αντίνο', οὐ μὲν καλὰ καὶ ἐσθλὸς ἐὼν ἀγορεύεις·
τίς γὰρ δὴ ξεῖνον καλεῖ ἄλλοθεν αὐτὸς ἐπελθὼν
ἄλλον γ', εἰ μὴ τῶν, οἳ δημιοεργοὶ ἔασιν,
μάντιν ἢ ἰητῆρα κακῶν ἢ τέκτονα δούρων,

---

[3]) cf. praecipue Aristot. Polit. 1274a, 22 sqq.: νομοθέται δ' ἐγένοντο Ζαλευκός τε Λοκροῖς τοῖς ἐπιζεφυρίοις, καὶ Χαρώνδας ὁ Καταναῖος τοῖς αὑτοῦ πολίταις καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς Χαλκιδικαῖς πόλεσι ταῖς περὶ Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν.

[4]) Zaleucum primum de medicis publicis legem scripsisse atque praescripta eius Charondam in leges suas recepisse coniecerunt A. Dechambre, Rev. arch. 1881 (XLI), 52, R. Herzog, l. l. 205. Sed incertiores illae sunt res, quam ut nomen afferri possit.

ἢ καὶ θέσπιν ἀοιδόν, ὅ κεν τέρπῃσιν ἀείδων;
οὗτοι γὰρ κλητοί γε βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν·
πτωχὸν δ' οὐκ ἄν τις καλέοι τρύξοντά ἑ αὐτόν κτλ.

Quibus ex versibus discimus quo tempore facti sunt (saec. VII.?) medicos sicut vates architectos poetas (praecones adduntur τ 135) functos esse munere libero et ab aliis separato. Migrabant autem per urbes et considebant, ubi ut manerent invitabantur aut quo arcessebantur (vs. 386). Ibi quamquam cives non erant, in statu honorato collocati erant, atque verisimile est, cum δημιοεργοί essent vel τὰ δημόσια ἐργαζόμενοι,[5]) eos a populo esse altos.

§ 2.

DE ASCLEPIADIS ET AESCULAPIIS.

At multi sunt qui Aesculapii in fanis medicinam usque ad Hippocratis tempora excultam esse credunt, medicos autem civiles fuisse negant ante saeculum quintum vel sextum iniens. Quibus cum ea quae scripsimus opponimus tum Homerum iterum laudamus. Apud quem nullo loco fit mentio de Aesculapii aliusve numinis sacerdotibus, qui ex officio curant aegrotos, sed medici multis locis commemorantur sive in Iliade duces medicinae periti sunt sive sunt veri medici in Iliade et maxime in Odyssea. Etenim Aesculapius et filii eius Podalirius Machaonque militibus praesunt et vulneribus atque morbis medicantur sicut alii duces (B 731 sq., Δ 193 sqq., Λ 517 sqq., Λ 832 sqq. — cf. infra p. 75). Nam exempli causa Achilles, qui artem medicam a Chirone edidicerat (Λ 831 sq.), in imagine vasculi Sosiae pulcherrima (Furtw., Berl. Vasens. 2278) Patroclum curans spectatur, in Iliade ipsa Patroclus Eurypylum curat (Λ 844 sqq.). Sed veri etiam medici in posterioribus Iliadis partibus inveniuntur.[6]) Iam vero in Odyssea munus medicorum ab aliis secretum est, sed in templis Aesculapii medicos artem suam didicisse nullo verbo dicitur.

---

[5]) cf. schol. ad Od. l. l., Eustath. 1824, 34 et 1825, 5 sqq., Suidas s. v. δημιουργοί (= schol. ad Arist. Equit. 650) et δημιουργός.

[6]) Λ 514 ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ κτλ. N 213 sq. τὸν μὲν ἑταῖροι ἔνεικαν, ὁ δ' ἰητροῖς ἐπιτείλας ἤιεν ἐς κλισίην κτλ. Π 28 (βέβληται ... Διομήδης ... Ὀδυσεὺς .. ἠδ' Ἀγαμέμνων κτλ.) τοὺς μέν τ' ἰητροὶ πολυφάρμακοι ἀμφιπένονται, ἕλκε' ἀκειόμενοι. Λ 835: χρηίζοντα καὶ αὐτὸν (sc. Ποδαλείριον ἕλκος ἔχοντα) ἀμύμονος ἰητῆρος.

Uno loco medici nisi ad Aesculapium tamen ad Paeonem referuntur. Quem omnino alium veterem deum atque Aesculapium esse Usener (*Götternamen* 153 sqq.) demonstravit (cf. Eisele apud Roscherum s. v. Paian). Sed illo loco legis (δ 230 sq.):

ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
ἀνθρώπων· ἦ γὰρ Παιήονός εἰσι γενέθλης.

Quae verba non spectant ad medicos Aegyptios, ut iam antiqui ex versibus antecedentibus concluserunt (schol., Eust., Plut. Gryll. 9; cf. Ameis-Henze, Anhang p. 100), sed medici omnes, praecipue igitur Graeci, laudantur (v. Welcker l. l. 49). Nemo autem medicos cum Paeone artius cohaerere ex versibus illis colliget. Nam medici humani appellantur progenies dei medici poetica quadam fictione sicut milites θεράποντες Ἄρηος vel poetae Μουσάων θεράποντες nominantur. Ante Aesculapium igitur Paeon deus medicorum erat, cum ipse esset deus medicus et medicus deorum (v. E 401, 899). Quem et Apollinem necdum Aesculapium habet Hesiodus etiam deos medicos (fr. 139):

εἰ μὴ Ἀπόλλων Φοῖβος ὑπὲκ θανάτοιο σαώσει
ἢ καὶ Παιήων ὃς πάντων φάρμακα οἶδεν,

et inde Iamblichus (de Pyth. vita 31, 208): εἶναι δὲ ταύτην τὴν ἐπιστήμην τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς Ἀπόλλωνος καὶ Παιῶνος, ὕστερον δὲ τῶν περὶ τὸν Ἀσκληπιόν. Quare factum est, ut vetustioribus temporibus medici nondum Ἀσκληπιοῦ θεράποντες vel παῖδες nominarentur sed Παιῶνος. Ita enim Solon etiam dicit, cum artes atque quaestus hominum enumeret (4, 57):[7])

ἄλλοι Παιῶνος πολυφαρμάκου ἔργον ἔχοντες
ἰητροί·

Itaque primum valetudinarium non Aesculapium est, sed Paeonium,

---

[7]) Ibidem exempla complura moris poetici illius Graecorum inveniuntur: 49 sqq.:

ἄλλος Ἀθηναίης τε καὶ Ἡφαίστου πολυτέχνεω
ἔργα δαεὶς χειροῖν ξυλλέγεται βίοτον,
ἄλλος Ὀλυμπιάδων Μουσέων πάρα δῶρα διδαχθείς,
ἱμερτῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος·
ἄλλον μάντιν ἔθηκεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων κτλ.

cf. supra p 384 sq. et Empedocles 146 (Diels, Vorsokr.) = Clem. Strom. IV, 150, p. 632 P:

εἰς δὲ τέλος μάντεις τε καὶ ὑμνοπόλοι καὶ ἰητροὶ
καὶ πρόμοι ἀνθρώποισιν ἐπιχθονίοισι πέλονται,
ἔνθεν ἀναβλαστοῦσι θεοὶ τιμῇσι φέριστοι.

quod apud Athenas erat in ora maritima et in quo aquae calidae ducebantur trans columnas. Quod quinti saeculi media parte recentius non est, cum Crates in Θηρίοις id commemoret (Ath. 268a).

'Ασκληπιάδαι autem omnes medici primum appellantur apud Theogn. 432 sq.:

εἰ δ' 'Ασκληπιάδαις τοῦτο γ' ἔδωκε θεός,
ἰᾶσθαι κακότητα καὶ ἀτηρὰς φρένας ἀνδρῶν,

et vix ante annum 500 hymnus Homericus quem dicunt (h. H. XVI) in Aesculapium deum et ἰητῆρα νοσῶν olim factus esse videtur. Tum etiam familiae vel collegia medicorum ab Aesculapio se ortos esse praedicare coeperant. Quod tradit Theopompus: περί τε τῶν ἐν Κῷ καὶ Κνίδῳ ἰατρῶν, ὡς 'Ασκληπιάδαι καὶ ὡς ἐκ Σύρνου οἱ πρῶτοι ἀφίκοντο ἀπόγονοι Ποδαλειρίου (ita Photius, Bibl. c. 176, 203 = Müller, FHG. I, 296 fragm. 111). Ita facillime factum est, cum veteres de historia medicorum anquirere coepissent illo tempore, quo in summo flore erant Aesculapii valetudinaria sacra, ut etiam Asclepiadae vere medici in his sacris quondam artem didicisse medicam putarentur.

De his rebus ita igitur diiudicandum est multos fuisse medicos saeculis illis, quibus Homeri carmina facta sunt, usque ad Hippocratis aetatem,[8]) fuisse autem hos medicos civiles neque pontifices Aesculapii, quem temporibus vetustioribus omnino non habebant deum. Itaque falso Plinius, qui tradidit: *sequentia eius* (Aesculapii), *mirum dictu, in nocte densissima latuere usque ad Peloponnesiacum bellum. tum eam revocavit in lucem Hippocrates* eqs. (XXIX, 4). Falso enarravit idem (l. l.) Varrone auctore Hippocratem tabulis ἰαμάτων, ut ita dicam, Cois exscriptis templum Aesculapii incendio consumendum curavisse et medicinam suam instituisse (cf. S. Reinach, l. l. p. 1670).[9]) Quae iudicia

---

[8]) Uberius de hac re egit Daremberg, *Études d'archéol. médicale sur Homère, Rev. arch.* N. S. XII (1865), p. 95, 249, 337; idem, *De l'état de la médecine entre Homère et Hippocrate* (962—460) *d'après les poètes et les historiens grecs, Rev. arch.* N. S. XVIII (1868), p. 345 sqq., XIX (1869), p. 63, 199, 259 sqq.

[9]) Iam ante Hippocratem medicos scripsisse libros (sed non sanctos in templis Aesculapii conservatos) ex multis etiam librorum Hippocrateorum locis elucet. Ad quas antiquorum litteras spectare videtur Hippocrates vel qui scripsit περὶ ἀρχαίης ἰητρικῆς cum dicit (c. 2): ἰητρικῇ δὲ πάλαι πάντα ὑπάρχει καὶ ἀρχὴ καὶ ὁδὸς εὑρημένη καθ' ἣν τὰ εὑρημένα πολλά τε καὶ καλῶς ἔχοντα

iam dudum sunt facta a viris doctissimis. Ita enim G. Welcker, l. l. p. 101: *Gar sehr aber widerstreitet es der wahrscheinlichen griechischen Kulturgeschichte, wenn man von einigen abenteuerlichen Sagen von höchst verschiedenartigen mythischen Personen, die in der Geschichte der Arzneikunde, die sie höchst negativ angehen, wunderlich spuken, unmittelbar übergeht zu der Ausübung der Heilkunst in den Tempeln;* ib. p. 103: *Es ist dies ebenso unwahrscheinlich* (nullos fuisse medicos civiles inter Homerum et Hippocratem), *als daß Hippocrates aus dem Schoße selbst dieser Nation, wie Athene aus dem Haupte des Zeus in voller Rüstung, als der Meister einziger Art hervorgegangen wäre, der nur auf sich ruhte, ohne Zusammenhang mit vielen vorangegangenen Geschlechtern.* Idem autem Daremberg, Rev. arch. XIX (1869), 267: *Il est donc temps de faire justice de la phrase stéréotypée: Hippocrate père de la médecine, et d'en embarrasser l'histoire. Cette phrase est un véritable attentat aux lois de développement de l'esprit humain, et chacun peut maintenant reconnaître que le plus illustre représentant de l'Ecole de Cos, qu' Hippocrate a fait son apparition au moment proprice quand tout concourait, depuis longtemps déjà, à préparer les voies pour la manifestation d'un grand événement scientifique.* Ita etiam S. Reinach, l. l. p. 1669. Sed tamen in libris novissimis errores illi inveniuntur. Sunt etiam hodie, qui credant medicinam Graecam illam celeberrimam in templis Aesculapii natam ibique ad tempora Hippocratis esse excultam.

Certum quidem est homines superstitiosos si aegrotabant semper deos consuluisse aut in speluncis vel templis incubuisse. Qui mos, postquam multi antea veri medici fuerunt, longius perlatus est, quo tempore Empedocles mystica quadam arte aegrotos curabat et ἰατρομάντεις, quo verbo solus Aeschylus utitur (Suppl. 260. Ag. 1606. Eum. 62), exsistebant. Tum tempus erat — eodem autem tempore medicina ipsa maxime florebat — ut templa Aesculapii ex officio aegrotos suo more sanare coepissent. Tamen medici, qui Aesculapium habebant deum

---

εὕρηται ἐν πολλῷ χρόνῳ καὶ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεται, ἥν τις ἱκανός τε ἐὼν καὶ τὰ εὑρημένα εἰδὼς ἐκ τούτων ὁρμώμενος ζητῇ. Quae verba Hippocrate ipso indigna non sunt. Alcmaeonem autem Crotoniatam saeculo iam sexto librum medicum composuisse et fortasse primum de rebus medicis scripsisse nunc inter omnes constat (cf. Wachtler, *de Alcmaeone Crot.* p. 33 sqq.).

tutelarem et praesidem eumque valde colebant[10]) ut temporibus vetustioribus Paeonem, causam suam tum quidem numquam cum pontificibus Aesculapii communicabant aut consiliis eorum intererant. Quod paucis verbis apte locutus est P. Girard (l. l. p. 86): *tout en protestant contre le charlatanisme des prêtres, ils demeurèrent toujours pleins du respect pour le dieu.* Quantopere autem vere medici tamen animi haud intacti religione fuerint, ex Hippocratis viri ingeniosi loco celeberrimo percipitur (περὶ ἀέρων 22, 77): ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτῷ δοκεῖ ταῦτα τὰ πάθεα θεῖα εἶναι, καὶ τἄλλα πάντα, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου θειότερον, οὐδὲ ἀνθρωπινώτερον, ἀλλὰ πάντα ὅμοια καὶ πάντα θεῖα· ἕκαστον δὲ αὐτῶν ἔχει φύσιν τὴν ἑωυτοῦ, καὶ οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίνεται (cf. 22, 81: ἀλλὰ γάρ, ὥσπερ καὶ πρότερον ἔλεξα, θεῖα μὲν καὶ ταῦτά ἐστιν ὁμοίως τοῖς ἄλλοις· γίνεται δὲ κατὰ φύσιν ἕκαστα).

Quare mihi non probatur saeculo iam quarto in Aesculapiis, quae ex somniis sanabant, pontifices fuisse medicos. Tamen P. Girard (l. l. p. 34) contendit in inscriptionibus Atticis IG. II 835 et 836 in Aesculapio Atheniensi repertis Onetorem Melitensem pontificem (836 vs. 84 cf. vs. 73 et 65, 66) eundem esse hominem atque Onetorem medicum, quem restituerunt 835, 13.[11])

---

[10]) Medici publici Athenis bis in anno Aesculapio et Hygiae immolabant: IG. II 352b (cf. infra cap. II § 7). Honores medicis decreti Aesculapii diebus sacris pronuntiabantur: IG. XII 1, 1032, vs. 23 (Brycunte). Brit. M. 260, vs. 2 (Calymnae inventa; Co honores pronuntiabantur); BCH. XXVI (1902), 269, vs. 32 (Delphis; Co). Decreta honorifica medicorum marmori incisa in templis Aesculapii constituebantur. Quod maxime Co factum est, ubi multas medicorum stelas in Aesculapio nunc effodit R. Herzog (Arch. Anz. 1903, p. 10, 197, 198). Firmum hunc morem fuisse et alias etiam urbes in Aesculapio Coorum stelas medicorum Coorum collocasse demonstrat inscriptio Delphica (BCH. 1902, 269, vs. 28sqq.): δόμεν [δ]ὲ [κ]αὶ τοῖς τὰ Πύθια ἐπαγγελλόντοις τᾶι τῶν Κώιων πόλει τοῦ ψαφίσματος τὸ ἀ[ντ]ίγραφον, ὅπως ἀναγορευθῇ ὁ στέφαν[ος τ]οῖς Διονυσίοις τοῖς ἐν Κῶι καὶ τοῖς [Ἀ]σκλαπιείοις· ἀναθέμεν δὲ καὶ στάλ[αν ἐ]ν τῶι ἱερῶι τοῦ Ἀσκλαπιοῦ (sc. Coo, cum antea (vs. 26sqq.) iam legatur Delphis lapidem statuendum esse in templo Apollinis). Sed aliis etiam in urbibus lapides medicorum honores exhibentes in templis Aesculapii, si in urbe erant, constituebantur: Athenis (IG. II, 256b, vs. 30; ibi in Aesculapio etiam lapis inventus est, in quo decretum de sacrificiis ab medicis publicis factis erat incisum: IG. II 352b); Olunte (BCH. 1900, 225, vs. 57sqq.).

[11]) Legitur ibi: - - δακτύλιος σάρδιον χρυσίῳ ἐνδεδεμένον, ὃ ἀνέθη[κεν Ὀνήτ]ωρ ἰατρός, ὁ[λκὴ - - ἔνι γ]ρύψ καὶ ἔλαφος. Aliud donum ab medico quodam votum Aesculapio habes in eadem inscriptione vs. 17: - - - Νικομάχου ἰατροῦ ΔΔ.

Inferioribus autem saeculis, cum ex toto orbe terrarum ad fana Aesculapii concurreretur, medici adeo labebantur, ut Aesculapiorum adiuvarent medicos sacros, quippe qui paullatim aliquo modo medicinae ipsius periti essent facti. Quod demonstratur inscriptionibus sanationes dei exhibentibus, quae aevo Romano exaratae sunt: inscriptione C. Iulii Apellae (IG. IV 955; cf. v. Wilamowitz, *Isyllos* p. 116 sqq.); tabula olim Maffeiana vocata, quae Romae inventa est et ad fanum Aesculapii situm in insula Tiberis attinet (IG. XIV 966); inscriptionibus Lebenae repertis in Aesculapio (v. I. Zingerle, AM. XXI (1896), p. 67); (cf. etiam titulum Pergamenum JvP. 264). Quae omnes inscriptiones ab tabulis ἰαμάτων Epidauriis notissimis (IG. IV 951—953; quartam edidit P. Cavvadias, *Mélanges Perrot*, Paris 1903, p. 41) longe eo distant, quod non fingitur deum ipsum homines quamvis aegrotos, dum dormiunt, una nocte sanare (cf. Aristoph. Plut. vs. 627 sqq.), sed quod deus eis somnia tantum inspirat, quibus interpretatis sacerdotes remedia praecipiunt. Eo modo Aristides quoque altero p. Chr. n. saeculo cum deo communicabat.

Quae cum tum ita essent, aevo quidem Romano fieri poterat, ut medici immemores ordinis prioris ab sacerdotibus advocarentur vel ipsi sacerdotes fierent. Suo iure citat P. Girard (l. l. p. 33) IG. III 780 (Athenis, saeculi p. Chr. n. II. ineuntis): ἡ ἐξ 'Αρείου πάγου βο[υλὴ] κτα. ῎Ασυλον Ζ . . . . . | Στειριέα ἰατρὸν ζ[ακορ]|ρεύσαντα 'Ασκληπιῷ. IG. III 780a (ibid., eiusdem fere temp.): ἡ ἐξ 'Αρείου πάγου β[ου]|λὴ⟨ι⟩ κτα. Σώζοντα | Λαδίκου Σουνιέα ἰα|τρόν, ζακορεύσαντα | 'Ασκληπιοῦ καὶ 'Υγεία[ς] | ἐν τῷ ἐπὶ Στρατολάου | ἄρχοντος ἐνιαυτῷ. Aliae inscriptiones adiungi possunt: BCH. XVIII (1894), p. 160,4 = AM. XXIV (1899), p. 211,34 (Germae apud Pergamum) vs. 5 sqq.: [Μ]ηνό|δωρος 'Απολ|λωνίδου το|ῦ καὶ 'Οτακιλί|ου ἰατρὸς καὶ | ἱερεὺς τοῦ | 'Ασκληπιοῦ κτλ. IG. XII 2, 484 (Lesbi): [ἁ β]όλλα καὶ ὁ δᾶμος | Βρῆσον Βρήσω ἀρχιατρόν κτα. vs. 21: ζά|κορον Σαώτηρος 'Ασκληπίω κτλ. (qui quidem sacerdotia alia administraverat plurima). Sed celeberrimi etiam medici officii causa suscipiebant sacerdotia Aesculapii: C. Stertinius Xenophon in urbe Co (Paton-Hicks 92 (cf. Ditt.[2] 368[1]), 345; Herzog, Arch. Anz. 1903, 193 bis), Heraclitus Rhodiopoli (CIG. 4315 n.).

Prioribus temporibus cum saepe medici pii Aesculapio donaria vovissent (v. adn. 11) maximeque si hominem valde

aegrotantem servaverant (cf. A. Koerte, AM. XVIII, 237), tamen parva erant dona et nihilo ab aliorum differebant. Sed aevo Romano tota templa Aesculapio constituebant, fortasse ut ipsi in eis medicarentur: BCH. 1886, 216 (Oenoandae in Lycia): τὸ Ἀσκληπεῖον (sic) | κατεσκεύασεν | τῷ Οἰνοανδέων | δήμῳ | Καπανεὺς (Καπανέως τοῦ Καπανέως) ἰατρὸς | Οἰνοανδεὺς | ἐκ τῶν ἰδίων. W. M. Leake, Transact. of the Roy. Soc. II, I (1843) p. 245,2 et p. 304,2 = Lebas-Waddington III, 1, 1663b (Mastaurae in Lydia): Σαμιάδης | Μενάνδρου | ἰατρὸς γενό|μενος ἄριστος| ἀνέθηκεν τὸ τέμενος καὶ τὰ ἱερ(ὰ) Ἀσκλη|π[ι]ῷ — — — CIG. III 4315 n. (Rhodiopoli; Heracliti) vs. 17: ναὸν κατασκευ|άσαντα καὶ ἀγάλματα ἀναθέντα Ἀσκλη|πιοῦ καὶ Ὑγείας — —

Infima igitur aetate ars vere medica cum arte pontificum Aesculapii commixta est, postquam e fontibus longe disparibus exortae diu separatim adoleverunt. De Aristide autem nunc nondum egi, cuius ex ἱεροῖς λόγοις multa afferri possunt, quae qnantopere saeculo p. Chr. n. altero veri etiam medicí artem pontificum probaverint atque adiuverint et ipsi in Aesculapiis sanaverint demonstrant.

§ 3.

DE MEDICIS PUBLICIS A SAECULO QUINTO USQUE AD PRINCIPATUS TEMPORA PRIMA.

Ad medicos publicos revertamur. Inveneramus primos eorum apud Iones, cum in Odyssea apud poetam quendam Ionicum primum de medicis publicis testimonium exstet atque antiquis iam temporibus in urbibus Ionicis Siciliae et Italiae[12]) medici illi exstiterint. Athenis saeculo sexto Democedes medicus publicus erat, saeculo quinto alium certum medicum publicum Aristophanes tradit. Qui in Acharnensibus, cum Dicaeopolis ab agricola bobus suis ab hostibus privato rogatus esset, ut oculos lacrimis effusis paene occaecatos pace (ut finxit Aristo-

[12]) Catana et Leontini, quibus oppidis Charondas dedit leges, coloniae erant Chalcidensium (Thucyd. VI, 3); reliquae autem urbes, in quibus leges Charondae inducebantur, plurimae etiam coloniae Chalcidensium erant (cf. Arist. Polit. 1274a, 24, vid. adn. 3). Itaque leges illae sunt fortasse quae vocantur νόμιμα τὰ Χαλκιδικά, quas contra Doricas vicisse in Himera urbe tradit Thucydides VI, 5.

phanes pro unguento) sibi oblineret, illum ita facit loquentem (vs. 1030 sqq.):

ΔΙΚ. ἀλλ', ὦ πονήρ', οὐ δημοσιεύων τυγχάνω.
ΓΕΩ. ἴθ', ἀντιβολῶ σ', ἤν πως κομίσωμαι τὼ βόε.
ΔΙΚ. οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ κλᾶε πρὸς τὰ Πιττάλου.

Fuit igitur Athenis Aristophanis temporibus Pittalus[13]) δημοσιεύων vel medicus publicus notissimus, ad quem aegroti in comoedia etiam mittebantur. Quem saepius citat Aristophanes: in Acharnensibus iterum Lamachus miles gloriosus, postquam in proelium profectus mox malum nanctus est, ut ad illum se portent monet (vs. 1222):

θύραζέ μ' ἐξενέγκατ' ἐς τὰ Πιττάλου
παιωνίαισι χερσίν.

Denique Vesp. 1432 Philocleon cuidam, quem vulneraverat et qui hac de causa eum reum facere volebat, suadet, ut medicum potius adeat:

οὕτω δὲ καὶ σὺ παράτρεχ' εἰς τὰ Πιττάλου

(θεραπευθησόμενος τὰς πληγάς addunt scholia). Sic plane intelligitur harum comoediarum aetate medicos publicos Athenis fuisse homines notissimos.

Quod quin inscriptione quoque in arce Athenarum eruta affirmaretur, ab eo non multum afuit. Nam scribit A. Wilhelm (Wien. Jahresh. I (1898), Beibl. p. 44) inscriptionem IG. I 81, si recte eam legerit, ad medicum publicum pertinere, et posterius de hac et aliis accuratius se disceptaturum esse promittit. Quam fidem cum nondum vir doctissimus liberaverit, inscriptionem illam ad alteram quinti saeculi partem ut videtur pertinentem afferre non possumus.[14])

---

[13]) Medicus hic, quin vere appellatus sit Pittalus, in dubium vocari non potest (cf. Πιτταχός, Πιττάλακος). Tamen »nom de fantaisie« nomen esse Pittali et re vera Attalum eum appellatum esse Daremberg suspicatus est (Rev. arch. XIX, 1869, p. 69), quem secutus est Vercoutre l. l., p. 107 (sed cf. Dechambre l. l., p. 53). Errore autem Suidas Σπίτταλον eum nominat (s. v. Σπίττ.); sed Πίτταλος omnibus Aristophanis locis auctoritate codicum constat. Sed nomen Pittali Atticum non est.

[14]) Una alia est Attica inscriptio medici, quae ad saec. VI. extremum pertinere videtur: μνε̃μα τόδ' Αἰνέο σοφίας ἰατρο̃ ἀρίστο in disco marmoreo cum medici residentis imagine picta (IG. I 422[14], Suppl. p. 185). Sed medici publici esse eam non constat. Nuper de inscriptione et imagine egerunt H. Dragendorff, Jahrb. d. I. XII (1897), p. 1 sqq. et tab. I, R. Herzog l. l., p. 151, 201.

Eodem fere tempore[15]) inscriptio Cypria syllabarum signis indigenis tabulae aheneae incisa est, quae Idalii olim est inventa (Deecke, SGDI. 60). Quae foedus inter Stasicyprum regem Idaliosque et Onasilum medicum factum exhibet, quo illi pecuniam vel fundos polliciti Onasilum et fratres eius sibi obligabant, ut per tempus obsessionis, qua Persae et Citiei Idalium urbem premebant, viros vulneratos publice curarent: ὅτε τὰν πτόλιν Ἠδάλιον κατέϝοργον Μᾶδοι κὰς Κετιῆϝες, ἰ(ν) τῶι Φιλοκύπρων ϝέτει τῶ Ὀνασαγόραυ, βασιλεὺς Στασίκυπρος καὶ ά πτόλις Ἠδαλιῆϝες ἄνωγον Ὀνάσιλον τὸν Ὀνασικύπρων τὸν ἰjατῆραν κὰς τὼς κασιγνήτως ἰjᾶσθαι τὼς ἀνθρώπως τὼς ἰ(ν) τᾶι μάχαι ἰκμαμμένως ἄνευ μισθῶν κτλ. (vs. 1 sqq.). Habemus igitur quinto iam saeculo Idalii medicum, qui multis promissis (vs. 5 sqq.) publicus advocatus est. Sed in summo discrimine hoc factum est, qua ex re intellegitur Idalienses tum munus medicis publice mandare nondum consuevisse aut omnino nullos medicos in urbe fuisse.

At saeculis insequentibus in Graecia multos medicos publice

[15]) De tempore inscriptionis, cui certus quidem Idaliorum annus adscriptus est, magna est dissensio inter eos, qui praeter Deeckium inscriptionem ediderunt et tractarunt: Cauer, Del. inscr. Graec.[2] 472 (nonnullis annis ante 386) Meister, *Die griech. Dial.* II, p. 199 (389 a. Chr. — cf. Larfeld apud Bursian, Jahresb. LXVI, 36), Hoffmann, *Die griech. Dial.* I, p. 40 sqq. (449 a. Chr.), Solmsen, *Inscr. Graec. ad dialectos illust. sel.* 3 *(probabiliter ante a. 391)*. Vix Eduardi Meyeri coniectura (*Gesch. d. Alt.* III, 304) probanda est, qui inscriptionem ad seditionem Cypriorum anni 499 (Herod. V, 104, 108—115) revocavit, cum totum genus dicendi ab hac antiquitate abhorreat. Sed alii etiam firmum fundamentum quo nitantur non habent, neque ullum verbum apud Diodorum legitur (quod Meisterum secutus asseveravit Larfeld l. l.) de Idalio ab Persis et Citieis oppugnato, quamquam bellum accurate narratum est (Diod. XIV, 98. XV, 1—4, 8—9). Sed legitur in inscriptione ipsa medico soli praeter aliam summam dandas esse duas didrachmas Idalienses. Quae didrachmae sunt stateres Idalienses, quorum nunc etiam multi exstant (v. *Catalogue of the Greec coins in the Brit. Mus.*, *Cyprus* tab. V). Sed hi post annum fere 420. non iam forma publica percussi sunt, ut compluribus de causis sumpsit G. Fr. Hill (l. l. p. XXX sq.: *the coins of Idalium cannot be dated later than the third quater of the fifth century* cf. p. LII). Accedit, quod in titulo Idaliensi Poenico (Euting, Sitz.-Ber. d. Berl. Ak. 1887, 422) Baalmelek tyrannus Citieorum (cc. 479—449) rex Citieorum solorum nominatur, at filius eius Asbaal (445—425) et nepos Baalmelek II. (425—400) reges nominantur «Citiensium et Idaliensium« (cf. l. l. p. XXX et XXXIII). Itaque initio regni Asbaali Idalium ab Citieis expugnatum esse videtur, unde sequitur, ut tabula ahenea Onasili medici cira annum 445 exaratum sit (cf. l. l. XXX, LII).

institutos esse cum scriptores, Plato, Xenophon, Teles alii, quos suo quemque loco tractabimus, testantur tum tituli multi approbant. Quas breviter nunc enarrare supervacaneum non erit:

1. W. Judeich, AM. XVI (1891), 292. Tei. Fragmentum synoecismi pacti inter Teum et aliam civitatem. vs. 10 commemoratur τὸ ἰατρικόν. Annorum a. Chr. n. 370—350 (J. Wackernagel, AM. XVII 143). Sed recentior esse videtur.

2. IG. II 256b (add. p. 424). Ditt.[2] 489. Mich. 120. Athenis in Aesculapio. Decretum in honorem Phidiae Apollonii f. Rhodii medici Athenis publici. A. 304/3 a. Chr. n.

3. IG. II 352b (add. p. 426). Athenis in Aesculapio. Fragmentum decreti pertinentis ad sacrificia Aesculapio et Hygiae ab medicis publicis facta. Anni, ut videtur, 240/39 a. Chr. n. (v. Kirchner, PA. 3791: GGA. 1900, p. 443, § 24).

4. IG. XII 1, 1032. Ditt.[2] 491. Mich. 436. Carpathi (Brycunte). Decretum honorificum Menocriti Metrodori f. Samii Brycuntiorum med. publ. III. fere saec.

5. R. Herzog, Arch. Anz. 1903, p. 198, 3. Co in Aesculapio. Decretum pagi Αἰγηλίων in honorem Anexippi Alexandri f. med. publ. III. saec. Nondum edita.

6. ibidem nr. 4. Co in Aesculapio. Fragmentum decreti in honorem medici publici alicuius. III. saec. Nondum edita.

7. Paton and Hicks, Inscr. of Cos 5. Ditt.[2] 490. Mich. 425. SGDJ. 3618. Co. Decretum honorificum Xenotimi Timoxeni f. Coi medici, qui vice medicorum publicorum morbo affectorum munere publico functus est. III. fere saec.

8. Foucart-Wescher, Inscr. de Delph. 16. Ditt.[2] 466. Mich. 268. SGDJ. 2615. Delphis. Decretum populi Philistioni cuidam choregiam et τὸ ἰατρικόν remittentis. Anno fere 200. aut paullo superiore.

9. W. Vollgraf, BCH. XXV (1901), 234. Amphissae. Decretum populi Amphissiorum perscriptum populo Scarphiensium, in honorem Menophanti Artemidori f. Macedonis ex urbe Lydiae Hyrcanio, qui medicus publicus Amphissam accitus erat. II. saeculi partis prioris.

10. B. Latyschew, AM. VII (1882), p. 364. SGDJ. 1447. Mich. 297. IG. IX, 2, 69. Lamiae. Decretum honorificum Metrodori Adromenis f. Pelinnaei medici publ. veterinarii. Anno fere 130. a. Chr. n. (A. Wilhelm, BCH. 1900, p. 230).

11. H. Demoulin, BCH. XXVII (1903), 233 sqq. (cf. 1902, p. 420, 2). Teni. Decretum Teniorum atque decretum Nesiotarum in honorem Apollonii Hieroclis f. Milesii med. publ. II. saec.

12. C. T. Newton, Greek inscr. in the Brit. Mus. 143. Gythei. Decretum honorificum Damiadae . . . lis f. Lacedaemonii med. publ. Anni fere 100. a. Chr. n. aut paullo posterioris.

13. Paton and Hicks, Inscr. of Cos 344. Co. Decretum pagi Halensium in honorem Isidori Nicarchi f. Coi med. publ. Saeculi p. Chr. n. primi.

14. Heberdey u. Kalinka, Zwei Reisen im südwestl. Kleinasien (Denkschr. d. K. A. d. W. in Wien, ph.-h. Kl. Bd. XLV, 1), p. 23, 13. In Lyciae urbe

Tlo. Basis statuae erectae a populo in honorem Bellerophontei med. publ. I. aut II. p. Chr. n. saec.

Quos adhuc enumeravimus titulos, certe sunt medicorum publicorum aut certe ad medicos publicos spectant. Adiungimus eos, qui fortasse ad medicos publicos pertinent, quamquam propter lapides nimis corrosos non plane constat, et qui, nisi sunt medicorum publicorum, tamen his aliquid proficiunt (nr. 15—28). Horum titulorum cum plurimi autem sint decreta honorifica, decretis quae de medicis publicis facta sunt enumeratis usui fortasse est aliorum quoque medicorum addere decreta atque bases statuarum a re publica positarum (num. 29—48):

15. IG. II 186. Athenis in arce. Decretum honorificum Euenoris Euepii f. Acarnanis medici. 322/21 a. Chr. n.

16. IG. II 187. Athenis in arce. Decretum in honorem eiusdem. Paullo recentius.

17. R. Herzog, Arch. Anz. 1903, p. 197. Co in Aesculapio. Decretum factum de legibus colligendis, quae erant de piaculis (ἁγνείαις et καθαρμοῖς) veteribus, et piaculorum ipsorum laterculus. Commemorantur aedes medicorum (εἴ τοὶ ἰατροὶ τάσσονται). Anno fere a. Chr. 300. Nondum edita.

18. ibidem p. 10. Co in Aesculapio. Epistula Cnossiorum ad Coos missa de Hermia medico Coo Gortyna artem exercente et a Cnossiis honorato. Anni a. Chr. n. 219. vel uno prioris posterioris.

19. IG. XII 5, 600. Ceae. Decretum honorificum Polygnoti Dinonis f. Phi[lippensis?] med. fortasse publici. III. saec. vix recentior.

20. Paton and Hicks, Inscr. of Cos 37 (cf. 40). Ditt.[2] 616. SGDJ. 3636. Mich. 716. Co. Fasti sacri Coorum. Medicis pars carnis victimarum conceditur. III. saec.

21. J. Demargne, BCH. XXIV (1900), 225. In insula Creta ad oppidum Oluntem reperta. In eodem lapide una cum compluribus aliis decretis honorificis decretum est in honorem medici cuiusdam Casii fortasse publici. Anni fere 200. a. Chr. n.

22. Ph. E. Legrand, BCH. XVII (1893), p. 550, nr. 48. Ditt.[2] 503. REG. IX (1896), 359. In Mysia prope Parium (in vico *Dermendjik*). Decretum synedrorum concilii Iliensis in honorem Parianorum et A . . . . . zi Zopyri f. agoranomi Pariani; panegyri Athenae Iliadis cum cura instructa conduxerat filius Zopyri inter cetera medicum homines in panegyri morbo affectos gratiis curantem. II. saec. partis prioris.

23. Th. Homolle, BCH. VI (1882), p. 13 vs. 83. Ratio excepti et expensi hieropoearum Apollinis Delii archonte Demare (a. fere 180. cf. Ditt.[2] 588, p. 320[1]). Cuius anni hieropoei ab antecessoribus in arcam publicam inter ceteras acceperant urnam in qua inerant [ὧν] ἔλαττον ἔλαβεν ὁ ἰατρὸς HH𐅄 καὶ τοῦ ἐνοικίου ὡσαύτως ΔΔ⊢.

24. IG. IX 1, 104. Elateae. Decretum honorificum medici Asc . . . . haud scio an publici. Vix ante saec. II. medium.

25. C. T. Newton, Greek Inscr. in the Brit. M. 260. Exemplar Calymnae constitutum, ut videtur, decreti Coorum, ut honores medico cuidam Coo ab Calymniis tributi Co proclamarentur. II. fere saec.

26. BCH. XVIII (1894), p. 197. Amorgi. Decretum nimis mutilum in honorem Uliadis Uliadis f. medici. II. fere saec.

27. R. Herzog, Arch. Anz. 1903, p. 198, 1. Co in Aesculapio. Decretum Apterae urbis Creticae in honorem Callippi Aristocriti f. Coi medici a Cois missi. II. saec. Nondum edita.

28. IG. XII 5, 719. Andri. Honorum decretum Artemidori Menodoti f. medici fortasse publici. Aevi Romani ineuntis.

29. R. Herzog, Arch. Anz. 1903, p. 198, 2. Co in Aesculapio. Decretum Jasi urbis Cariae in honorem Philisti Nicarchi f. Coi medici, qui Jasios curaverat, cum Coi in morbos incidissent. III. saec. Nondum edita.

30. Jardé, BCH. XXVI (1902), 269. Delphis. Decretum Philisti Moschionis f. Coi medici ab Amphictyonibus honorati. Anni a. Chr. ut videtur 218/17.

31. Th. Homolle, BCH. IV (1880), 348. Deli. Decretum honorificum Archippi Polychari f. Cei medici. III. vel II. saec.

32. Wescher et Foucart, Inscr. rec. à Delphes 462. SGDJ. 2632. Delphis. Decretum in honorem Melancomae nescio cuius filii [Me]galopolitae medici. Anni a. Chr. 206/05.

33. CIG. 3596. Ditt.[1] 157; idem Syll. Suppl. (Orientis Graec. inscr. sel.) 220. Troia u. Ilion, p. 465, 25 (Brueckner). In Troade olim reperta. Decretum Iliensium in honorem Metrodori Timoclis f. Amphipolitae medici, qui Antiochum regem et Meleagrum ducem in pugna vulneratos sanaverat. III. a. Chr. saec. exeuntis vel ineuntis II (cf. Th. Sokoloff, Klio, Beitraege zur alten Gesch., edd. C. F. Lehmann u. E. Kornemann, IV (1904), p. 109 sq.: post pugnam apud Panium commissam anno 198).

34. C. T. Newton, Greek Inscr. in the Brit. M. 258. SGDJ. 3557. Calymni. Fragmentum decreti in honorem Chartadae[16]) Philoxeni f. Berenicei medici (at non archiatri, cf. infra p. 27). Circa annum 200. a. Chr.

35. IG. II 433. Athenis. Fragmentum decreti in honorem Menandri Pergameni, medici Eumenis II. regis Pergamenorum. Ex annis a. Chr. 197—159.

36. IG. IX 1, 516. Actii. Decretum concilii Acarnanum in honorem Diogenis Diogenis f. Pergameni medici per oppida Acarnaniae medicantis. Annorum 167—146.

37. R. Weil, AM. I (1876), p. 337, 7a. Amorgi. Cum aliis in eodem lapide decretum est Minoetarum in honorem Pythionis Aeacidae [Delphi] medici. II., ut videtur, saeculi.

38. P. Perdrizet, BCH. XX (1896), p. 341, 7. Citii. Basis statuae publice erectae in honorem Artemidori Artemidori f. medici. II. aut I. a. Chr. saec.

---

16) Χ̣ατάλας editor: Χ/—|ΤΑΛΑΣ. Χαρτάδας vel Χαρητάδας coni. v. Wilamowitz laudans Hippocr. Epid. VII, 557 Ch., ubi Χαρτάδας legitur.

39. CIG. 4379c. Sterret, Papers of the American School III (1884—85), p. 287, nr. 407/8. In loco Pisidiae *Kara Baulo*. Basis statuarum Orestis Antiochi f., qui Alexandriae studiosus medicinae mortuus erat, et patris eius. Statuas ponendas curavit mater et coniunx honore a senatu populoque decreto. II. vel I. p. Chr. n. saec.

40. O. Kern, Inschr. von Magnesia 113. Ditt.[2] 371. In vico *Üzümlü* prope Magnesiam a. M. Decretum honorificum Tib. Claudii Tyranni Magnetis Claudii imperatoris liberti medici. Ex I. p. Chr. saeculi prima parte.

41. Paton and Hicks, Inscr. of Cos 409 et 418. Kaibel, EG. 200. Co. Basis statuae Satyri Themistocli f. medici a pago Isthmiotarum honorati; in alio lapide basis duo sunt disticha medici ipsius tunc iam mortui, qui gratias agit pago Isthmio. I. p. Chr. n. saec. ineuntis vel medii.

42. CIG. 4315n. Rhodiopoli. Basis statuae publice constitutae in honorem Heracliti Heracliti f. Rhodiopolitae Rhodiique philosophi et medici, Homeri inter medicos vocati, qui a multis civitatibus societatibusque honoribus affectus est. I. vel II. p. Chr. saec.

43. IG. III 780. Athenis. Basis statuae ab Areopago, senatu sescentorum, populo constitutae in honorem Asyli Z..... f. Stiriensis medici et zacori Aesculapii. Ex annis anno p. Chr. 126. antecedentibus.

44. IG. III, 780a. Athenis in Aesculapio. Herma sine capite cum inscriptione Sozontis Ladici f. Suniensis medici et zacori Aesculapii, quem Areopagus, senatus sescentorum, populus honorabant. Eiusdem aetatis.

45. Th. Reinach, REG. VI (1893), p. 180, 19. Jasi. Basis statuae C. Cornelii Hecataei medici publice erectae. I. vel II. p. Chr. saec.

46. G. Hirschfeld, Greek Inscr. in the Brit. M. 799. Cnidi. Basis statuae publice constitutae in honorem Servii [Sul]picii Apolloni[i] f. Hecataei medici. Saec. p. Chr. I. vel II.

47. ibidem 838. Cnidi. Basis statuae a populo erectae in honorem Cliti Cliti f. medici mortui. Saec. p. Chr. II. vel III.

48. G. Cousin et Ch. Diehl, BCH. X (1886), p. 60, nr. 13. In urbe Lyciae Cadyanda. Basis statuae Menophili Dosithei f. Cadyandensis medici a senatu populoque statutae. Saec. p. Chr. II. vel III.

Ex his quos casus servavit titulis satis certo confirmatur quod in universum dicit Xenophon: περὶ δὲ ὑγιείας ἀκούων καὶ ὁρῶν ὅτι καὶ πόλεις αἱ χρῄζουσαι ὑγιαίνειν ἰατροὺς αἱροῦνται κτλ. (Inst. Cyr. I 6, 15). Tam quarto igitur saeculo fere omnes omnino urbes Graecorum medicos publice conduxisse censendae sunt.

A Graecis hoc institutum ad barbaros transgressum esse Strabo e Posidonio docet. Qui de Massiliensibus suo etiam tempore Romanos et Gallos litteras docentibus verba faciens dicit haec: ὁρῶντες δὲ τούτους οἱ Γαλάται καὶ ἅμα εἰρήνην ἄγοντες τὴν σχολὴν ἄσμενοι πρὸς τοὺς τοιούτους διατίθενται βίους οὐ κατ' ἄνδρα μόνον ἀλλὰ καὶ δημοσίᾳ· σοφιστὰς γοῦν ὑποδέχονται τοὺς μὲν ἰδίᾳ, τοὺς

δὲ πόλεις κοινῇ μισθούμεναι, καθάπερ καὶ ἰατρούς (C. p. 181; IV 1, 5 ex.).

Sed ad titulos supra compositos revertimur. In quibus modus honorum alius est saeculis ante Christum natum, alius aetate Romana. Olim enim senatus populusque virum de civitate meritum laude publica honorabant, proxenia, civitate, aliis huiusmodi honoribus, qui lapide in publico constituto memoriae prodebantur. Romanis autem temporibus, cum honores illi pretium atque dignitatem amisissent, clariora apertioraque insignia virtutis desiderabantur. Itaque totum hominem marmoreum posteris constituebant. Quo factum est, ut, quo recentiora sunt tempora, eo plures bases statuarum exsistant medicorum eoque magis decreta longa atque aptissima ad nos erudiendos offerre se desinant.

Sin autem publicos spectamus medicos, omnes ferme, quorum titulos possidemus, ante principatus tempora vivebant; neque omnino ullam inscriptionem medici publici inde ab altero p. Chr. n. saec. habemus. Quid igitur est? Institutum illud sensim et paullatim periitne temporibus imperii Romani? Minime. Nam medici publici tum etiam munere suo omnibus locis fungebantur. Sed nomen mutatum est. Quod quale fuerit, mox videbimus.

§ 4.

DE MEDICIS PUBLICIS AEVI ROMANI SIVE DE ARCHIATRIS.

Aetate Romana uno loco medici publici usque in saeculum quartum eminent:

Oxyrh. Pap., I 51 (p. 108) anni p. Chr. 173. De corpore mortuo visitato ad Claudianum praetorem relatio π(αρὰ) Διονύσο(υ) Ἀπολλοδώρου Διονυσ[ί]ου ἀπ' Ὀξυρύγχων πόλεως δημοσίου ἰατροῦ.

Oxyrh. Pap., I, 40 (p. 83), saec. II. p. Chr. exeuntis vel ineuntis III. Iudicium praefecti de questu Psasnis, qui quidem est ἰατρὸς δημοσ[ιεύ]ων ἐπὶ ταρι[χείᾳ].

Oxyrh. Pap., I 52 (p. 109), anni 325. De inspectione puellae domo collapsa vulneratae renuntiatio ad curatorem rei publicae παρὰ Αὐρηλίων .... καὶ Διδύμου καὶ Σιλβανοῦ ἀπ[ὸ τῆς λαμ(πρᾶς)] καὶ λαμ(προτάτης) Ὀξυρυγχιτῶν πόλεω[ς δημοσίων] ἰ[ατρ]ῶν.

Quibus papyris addenda esse videtur similis renuntiatio C. Minicii Valeriani ἔχοντος τὸ ἰατρεῖον ἐν κώμῃ Καρανίδι data a. d. XI. Kal. Sept. anni 130. (BGU. 647). Quam papyrum medici publici esse, si ex argumento eius collegerimus, a vero fortasse non aberrabimus.

Iam his papyris demonstratum est vetus medicorum publ. nomen (δήμόσιος ἰατρός vel ἰατρὸς δημοσιεύων) in Aegypto etiam per aevum Romanum usitatum fuisse.

Aliis locis δημόσιοι ἰατροί posterioribus imperatorum saeculis non inveniuntur. Tamen multi altero p. Chr. saeculo tituli medicorum exstant et maxime in urbibus Asiae Minoris. Inter hos sunt multi archiatrorum. Qui archiatri erant medici publici et excipiebant eos, quos adhuc cognovimus δημοσιεύοντας, ipsi vocati ἀρχιατροί.[17]) Quod priusquam accuratius exponamus, de archiatris, unde provenerint, verba nonnulla nobis facienda sunt.

Inscriptionibus archiatrorum, quae ante Romana tempora exaratae erant, nondum inventis diu viri docti putabant apud Romanos exstitisse archiatros, plurimique Andromachum Neronis imperatoris medicum primum omnium designabant. Quem Galenus ἀρχιατρόν vocaverat (K. XIV, p. 2). Erotianus autem librum, qui τῶν παρ' Ἱπποκράτει λέξεων συναγωγή inscribitur, Andromacho archiatro dedicaverat (ed. Klein, p. 29, 1: Τὴν Ἱπποκράτους πραγματείαν, ἀρχιατρὲ Ἀνδρόμαχε, οὐκ ὀλίγα συμβαλλομένην πᾶσιν ἀνθρώποις ὁρῶν κτλ., quibus verbis liber incipit); sed hunc recentiorem quam illum Neronis medicum et filium eius fuisse suo iure exposuit Klein (Proleg. p. XII sq.). Inscriptione tum Coa inventa (PH. 345) C. Stertinius Xenophon primus archiater existimabatur.

---

[17]) De accentu huius vocis viri docti non pauci erraverunt, qui titulos archiatrorum ediderunt Graecos, cum scribunt ἀρχίατρος. Sed monet in Thesauri Henrici Stephani editione Parisiana L. Dindorf accentum acutum praecepisse Arcadium p. 89, 19 (τὸ δὲ ἰατρὸς φιλίατρος ἀναβιβάζει καὶ ἐν τῷ ἀρχιατρός καὶ ἱππιατρός φυλάττει — sed hausta sunt ex Herodiano περὶ καθολικῆς προσῳδίας libro ϑ', vid. Lentz I, 229, vs. 10) et conferendum esse Etymologicum Magnum, p. 215, 6 et 250, 34. Legitur autem in EM. p. 250, vs. 28sqq.: τὰ γὰρ εἰς ος ὀνόματα ἐν τῇ συνθέσει ἀναβιβάζουσι τὸν τόνον· οἷον κτα. χωρὶς γάρ, φησίν, εἰ μὴ διὰ σημασίαν τινὰ κωλυθείη· διὰ τὸ λοιγός, βροτολοιγός. καὶ χωρὶς τῶν ἐθνικῶν, Ἀχαιός, Παναχαιός. καὶ χωρὶς τοῦ ἰατρός, ἀρχιατρός. Eadem autem p. 215, 6sqq. leguntur.

Altera ex parte per complura saecula viri doctissimi inquirebant, quae vis voci ἀρχιατρός subiecta esset, habebantque controversiam, ἀρχὸς τῶν ἰατρῶν an τοῦ ἄρχοντος ἰατρός (ne memoremus *principem atrii* quemquam intellexisse) vis primitiva vocabuli esset (v. Dan. le Clerc, *Hist. de la Méd.*, p. 585 sqq.). Postremum commentationem de archiatris ampliorem scripsit R. Briau: *L'archiâtrie romaine ou la médecine officielle dans l'empire romain. Suite de l'histoire de la profession médicale* (Paris 1877). Qui rem acute perscrutatus tamen nimis subtiliter in plura genera quam sunt distribuit archiatros.[18]) Res tum non promovebatur, nisi quod nomen archiatrorum iam saeculis Christum natum antecedentibus occurrere demonstrabatur, id quod facillime fieri poterat inscriptionibus, quae id ostendebant, repertis.[19])

---

[18]) Ita R. Briau archiatros in classes quinque divisit (l. l. p. 18):

1. des archiâtres palatins (les médecins des empereurs),
2. des archiâtres municipaux (les médecins municipaux des villes de province),
3. des archiâtres populaires de Rome et de Constantinople (les médecins publics des deux villes impériales),
4. des archiâtres scholaires (les présidents des collèges ou sociétés de médecins ou d'écoles de médecine),
5. des archiâtres du xyste et des Vestales (les médecins spécialement attachés au service du portique appelé Xyste dans les gymnases publics et à celui des vierges Vestales).

Sed nescio quid inter classem alteram et tertiam, inter quartam et quintam intersit. Sic enim existimo primos archiatros apud Romanos (i. e. in iure Romano) fuisse medicos publicos, tum nomen usurpatum esse et ab medicis imperatorum et ab aliis praestantioribus medicis, qui munere quasi publico fungebantur. Tria igitur genera sint archiatrorum.

[19]) Ante R. Briau, qui ipse etiam apud Daremberg-Saglio s. v. *archiatrus* (I, p. 373) rem exposuit, de archiatris Romanis inter alios scripserunt: E. Th. Gaupp, *de professoribus et medicis eorumque privilegiis in iure Romano dissertatio.* Vratislaviae 1827 (ubi priorum invenis de hac re dissertationes ac fontes ex Codice Theodosiano et Corpore iuris accurate collectos); Goldhorn, *de archiatris Romanis et eorum origine usque ad finem imp. Rom. occ.* Lips. 1841. Conferas etiam E. Kuhn, *Die städt. u. bürgerl. Verfassung des röm. Reichs* I, p. 83 sqq.; W. Smith, *Dictionary of Greek and Roman antiquities* (2e ed. Lond. 1865) s. v. archiater (ubi res, ut tum erant, breviter et perspicue explicatae sunt); O. Marquardt, *Privatleben der Römer*, p. 752 sqq.; Friedländer, *Sittengesch. Roms* I^{6}, p. 335 sqq. Vetustiores viros doctos citant Leclerc, *Hist. de la Méd.* p. 585 sqq. et Bailie, *Fasciculus inscr. Graec.* I, p. 112. — Quod in libro a R. Briau scripto

Quarum prior in basi statuae Deli inventa legitur (ed. Th. Homolle, BCH. IV (1880), p. 217; Ditt.[1] 244; Löwy 294; Ditt. Suppl. 256):

Κράτερον Κρατέρου Ἀντιοχέα τὸν τροφέα
Ἀντιόχου Φιλοπάτορος, τοῦ ἐγ' βασιλέως
μεγάλου Ἀντιόχου καὶ βασιλίσσης Κλεοπάτρας,
γεγονότα δὲ καὶ τῶν πρώτων φίλων βασιλέως Ἀντι-
όχου καὶ ἀρχιατρὸν καὶ ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος τῆς
βασιλίσσης, Σωσίστρατος Σωσιστράτου
Σάμιος, τῶν πρώτων φίλων, ἀρετῆς ἕνεκα καὶ
εὐνοίας καὶ φιλοστοργίας τῆς εἰς ἑαυτόν,
Ἀπόλλωνι Ἀρτέμιδι Λητοῖ.
Φιλότεχνος Ἡρώδου Σάμιος ἐποίει.

Qua ex inscriptione apparet archiatrum ordinis nobilis fuisse et apud regem ipsum (Antiochum VII.) munus medicum exsecutum esse, cum titulus inter alias aulae regiae dignitates insertus sit. Est autem inscriptio annorum 130. vel 129. a. Chr. (Ditt.[1] 244[1]. cf. Löwy 294). Altera inscriptio gemina iterum quendam τῶν πρώτων φίλων βασιλέως καὶ ἀρχιατρόν ostentat. Quam Deli quoque inventam edidit S. Reinach, BCH. VII (1883), 359 (Ditt. Suppl. 374). Exarata est non multo post antecedentem, cum Mithradates (VI.) Eupator per annos a. Chr. 120—63 regnaret. Legitur autem in basi statuae ita:

[Ὁ ἱερε]ὺς Ἡλιάναξ Ἀσκληπιοδώρου Ἀθηναῖ[ος]
Παπίαν Μηνοφίλου Ἀμισηνόν,
τῶν πρώτων φίλων βασιλέως
Μιθραδάτου Εὐπάτορος
καὶ ἀρχιατρόν, τεταγμένον δὲ
καὶ ἐπὶ τῶν ἀνακρίσεων,
θεοῖς.

Hi duo tituli, soli archiatrorum, qui e saeculis antechristianis adhuc exstant, plane demonstrant apud diadochos qui vocantur reges archiatros exortos et munere aulico functos esse.

---

legis, excerpsit M. Salomon, *Deutsch. Archiv für Gesch. der Medicin u. med. Geogr.* edd. H. et G. Rohlfs, II (1879), p. 216sqq. — Nuper rem paucis tractarunt: A. Vercoutre l. l., p. 355; M. Wellmann apud Pauly-Wissowa s. v. ἀρχιατρός; J. Bloch apud Neuburger u. Pagel, *Handb. d. Gesch. d. Med.* I, 583; S. Reinach l. l., p. 1690.

Sed in inscriptione Calymnia (nr. 34)[20]) cum vs. 5 ante vocabulum ἰατρός lacuna hiaret et Newton, qui illam edidit, vestigia litterae X agnosci posse[21]) putavisset, hic [αρχ]ιατρός supplevit. Haberemus igitur medicum urbis, qui archiater vocatus esset. At quae Newton explevit stare non possunt, cum viri duo doctissimi, A. Smith et A. R. Munro, lapidem denuo inspexerint atque litteram ullam in lacuna fuisse negaverint.[22])

Qua igitur in domo regia archiatri primi exstiterint, quaerendum est. Etenim mihi quidem probatur ante Alexandrum aut Alexandri ipsius temporibus nondum quosvis medicos archiatros nominatos esse. Cum autem titulus archiatri, qui regem Antiochum curabat, tempore prior sit, in aula Seleucidarum medici aulici appellari archiatri coepti esse videntur, optimeque propinquitate atque coniunctione familiae utriusque probatur ab aula regia Antiochena ad regis Pontici nomen transiisse. At S. Reinach verisimile esse existimabat (BCH. VII 359 et apud Daremberg-Saglio, l. l. p. 1690) in Aegypto primos exstitisse archiatros, cum aliae aulae mores atque institutiones Ptolemaeorum imitarentur, cum in Aegypto tituli similes sicut ὁ ἐπὶ τῶν ἰατρῶν et βασιλικὸς ἰατρός se praeberent, cum denique iam veteris imperii temporibus in quinta, quam numerant, regum familia medici regis noti sint. Quarum causarum quam primam vir doctissimus attulit, falsam esse infra videbis (adn. 25), quam tertiam nihil ponderis habere nemo neget.

Sed legitur in inscriptione Deli inventa titulis Crateri et Papiae supra exscriptis simillima quidam ἐπὶ τῶν ἰατρῶν (ed. Th. Homolle, BCH. III (1879), p. 470; Ditt. Suppl. 104):

---

20) Cito titulos medicorum, quos p. 19—22 enarravi, numeris ibi praepositis.

21) Adnotat Newton l. l.: *there seems to be traces of the X.*

22) Scripsit haec A. R. Munro Friderico Hillero de Gaertringen, qui precibus meis ut lapidem visitaret illum rogaverat: *We both* (A. Smith et A. Munro) *agree that the space indicated by Newton was never inscribed. The letters on each side of it are quite clear and distinct, but the interval is blank. The last two letters of* ΝΙΚΕΥΣ *are widely spread. There would hardly be room for* ΑΡΧ *before* ΙΑΤΡΟΣ. *The surface does not appear to have suffered, although it is a little rubbed. The letters would still be perfectly legible if they had ever existed.* Gratias ago hoc quoque loco viris doctissimis Britannicis et Friderico Hillero de Gaertringen, qui multis quoque in aliis rebus animo libentissimo me adiuvit et consilio et re.

Χρύσερμον Ἡρακλείτου Ἀλεξανδρέα | τὸν συγγενῆ βασιλέως Πτολεμαίου[23]) | καὶ ἐξηγητὴν καὶ ἐπὶ τῶν ἰατρῶν | καὶ ἐπιστάτην τοῦ Μουσείου | Ἄρειος — — Ἀπόλλωνι κτλ. Qui cum praefectus Musei vocetur praefectusque urbis Alexandriae vel praefectus annonae (ἐξηγητής. — cf. U. Wilcken, Ostr. I, p. 624, 654; cf. Ditt. Suppl. 104[4]), tertium etiam quod habuit officium publice neque in aula regis administrasse videtur. Praefuit igitur fortasse Alexandriae medicis et rebus medicis. Neque nego potuisse eum omnibus medicis publicis, qui multi in Aegypto erant, summum praefectum impositum fuisse, ut voluit R. Ditterberger (Suppl. 104[5]). Certe quidem in aula regia non medicus erat regis.

At idem atque ἀρχιατρός titulus qui etiam testis excitatur significare videtur. Legitur enim in magna papyro Taurinensi, quam integerrimam edidit A. Peyron, *Papyri Graeci regii Taurinensis musei Aegyptii I* (Taurini 1826), pap. 1, vs. 25 Tatam, qui ὁ βασιλικὸς ἰατρός vocatur, iussum regis per litteras tradidisse praefecto. Sicut igitur ille Παπίας ἀρχιατρός, τεταγμένος δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀνακρίσεων (p. 29) Tatas quoque res publicas subibat; tamen regis fuit medicus, qui hunc ipsum curabat et munere aulico fungebatur, ut ex titulo βασιλικὸς ἰατρός elucere videtur.

Sin autem in terris duabus eadem res altero loco ἀρχιατρός, altero βασιλικὸς ἰατρός vocatur, nomina mihi confundenda non esse videntur, sed ita statuendum est medicum illum aulicum apud Ptolemaeos βασιλικὸν ἰατρόν, apud Seleucidas ἀρχιατρόν nominatum esse. Quid enim? Papyrus Taurinensis anno a. Chr. 117. scripta est, id quod die in epistula adscripta certe constat; inscriptio Crateri autem archiatri Antiochi anni 130. vel 129. est.

Atque porro. Demonstrabitur continuo voci ἀρχιατροῦ aliam vim impositam esse temporibus Romanis, cum medici publici ab oppidis conducti ita vocabantur. Quod in Aegypto non factum est; nam hic medici publici usque ad IV. p. Chr. saec. ἰατροὶ δημόσιοι vel δημοσιεύοντες vocabantur (v. p. 23sq.) atque tituli archiatrorum non ante tempora Byzantina inveniuntur. Duo enim archiatri tantum, quorum tituli in Aegypto reperti sunt, adhuc sunt noti, uterque saeculi quinti et sexti: Πρώτερις

---

[23]) Non Ptolemaei III. Euergetae I. (246—221), ut volebat editor, sed fortasse Ptolemaei VI. Philometoris (180—145) (P. M. Meyer, Heerwesen 61[206]; cf. Strack, M. Rh. 1900, 86; Ditt. Suppl. 104).

ἀρχιατρός, cuius stelam sepulcralem in loco *Tehneh* nuper reperit G. Lefebure (BCH. XXVII (1903), p. 375 nr. 115) in coemeterio christianorum saeculi quinti vel sexti (v. l. l. p. 369, 376 sq.). Alterum invenis in Pap. Oxyrh. I 126 (p. 195) vs. 23: Φλ. Μάρκος σὺν θεῷ ἰατρὸς υἱὸς τοῦ τῆς λογίας μνήμης Ἰωάννου γενομέ(νου) ἀρχιατροῦ συναινῶ κτλ. Sed est haec papyrus anni p. Chr. 572.

Qui praeterea commemoratur archiater Aegyptius, is quoque aetatis est Byzantinae. Exstat apud Photium cod. 220 (p. 564/5): Ἀνεγνώσθη Θέωνος ἀρχιητροῦ Ἀλεξανδρέως ἰατρικὸν βιβλίον ὃ ἐπιγράφει ἄνθρωπον. Qui cum inter Oribasium et Aetium (saec. VI.) locum habeat apud Photium, hac ex re aetas eius iam pellucet, quae fit clarior Photii verbis ipsius (220 ex.): ἔστι μέντοι τὴν χρείαν τὸ βιβλίον ταῖς τοῦ Ὀρειβασίου συνόψεσι παρεχόμενον παραπλησίαν.

Byzantina igitur ante tempora nullus in Aegypto medicus archiater vocatur.[24]) Qua ex re satis apparet in Aegypto titulum archiatri inventum non esse. Contra testes excitati in Syriam omnes nos ducunt: in Syria igitur nomen archiatri videtur natum.[25])

---

[24]) In codicibus Aristeae epistulae ad Philocratem ὁ δὲ ἀρχιητρὸς Νικάνωρ (§ 182 Wendland) legitur. Qui Nicanor Ptolemaei I. temporibus Alexandriae LXXII senibus Judaeicis illis hospitio excipiendis ad vivendum omnia paravisse dicitur. Sed ἀρχιητρός interpolatum esse pro ἀρχεδέατρος et olim iam Letronne coniecerat (Journ. des Sav. 1828, 105) et ex eo sequitur, quod Josephus, qui epistulam Aristeae excerpsit, eodem loco dicit ὁ δὲ ἐπὶ τῆς τῶν ξένων ἀποδοχῆς τεταγμένος Νικάνωρ (Ant. XII, 2, 12), ita ut Josephum ἀρχεδέατρον apud Aristeam legisse verisimile sit (G. Lumbroso, *Recherches sur l'économie politique de l'Égypte sous les Lagides*, p. 206[1]). Fuit autem hospites recipere eisque prospicere maxime ἐδεάτρου, cf. Ath. 171 b: νῦν δὲ ὁ ἐδέατρος ἐπιστάτης γέγονε τῆς ὅλης διακονίας. ἦν δ' ἐπιφανὴς καὶ ἔντιμος ἡ χρεία. Χάρης - - - Πτολεμαῖόν φησι τὸν Σωτῆρα ἐδέατρον ἀποδειχθῆναι Ἀλεξάνδρου.

[25]) Equidem etiam puto titulum ἀρχιερέως in Syria primum publice usurpatum esse. Nam tertio iam saeculo ἀρχιερεῖς ab Seleucidis instituebantur, ut testantur optime tituli Ditt. Suppl. 224 (vs. 21): [κρ]ίνομεν δὲ (Antiochus II.) καθάπερ [πανταχοῦ καθεστήκασιν κ]ατὰ τὴν βασιλε[ί]α[ν ἡμῶν ἀρχ]ιερεῖς, καὶ ταύτ[η]ς (uxoris regis) καθίστασθαι [ἐ]ν τοῖς αὐτοῖς τόποις ἀρχιερείας αἳ φο[ρ]ήσουσιν στεφάνους χρυσοῦς ἔχοντας - - - - - - - - - - - ις, ἐπιγραφήσονται δὲ καὶ ἐν [τοῖς σ]υναλλάγμασι μ[ε]τὰ τοὺς τῶν [τε θε]ῶν καὶ ἡμῶν ἀρχιερεῖς. ibid. 230 (Solis): Πτολεμαῖος Θρασέα στραταγὸς καὶ ἀρχιερεὺς Συρίας Κοίλας καὶ Φοινίκας Ἑρμᾶι καὶ Ἡρακλεῖ καὶ βασιλεῖ μεγάλῳ Ἀντιόχῳ. Tum hoc institutum inde a temporibus Ptolemaei V., qui Cleopatram filiam Antiochi III. in matrimonium duxit (Ditt.

Ac primo archiater, ut docent tituli, praecipuum habebat in aula regis locum et medicus aulicus erat. Qui regem ipsum et familiam eius curabat intra domum regis et servis medicis, quorum multi in aula magna tum iam fuerint, praeerat. Qua ex re nomen sumpsit. Nam est archiater ὃς ἄρχει τῶν ἰατρῶν sicut ἀρχιτέκτων est ὃς ἄρχει τῶν τεκτόνων. Sicut autem in aedibus

---

Suppl. 230[2]), saepissime Cypri, quae Ptolemaeorum est, invenitur (cf. Brandis ap. Pauly-Wissowa s. v. ἀρχιερεύς; Ditt. Suppl. l. l.). Sed in Aegypto ipsa pontifices Graeci ἀρχιερεῖς ab Ptolemaeis vocati non esse videntur (neque pontifices regum ipsorum), cum nullius ἀρχιερέως titulus ante Romana tempora exstet. Nam inscriptiones, quae verbum ἀρχιερεῖς exhibent, monumentum Canopium (Ditt. Suppl. 56, 3 et 74) et lapis Rosettanus (ib. 90, 6, ubi legis (sicut 56, 3): οἱ ἀρχιερεῖς καὶ προφῆται καὶ οἱ εἰς τὸ ἄδυτον εἰσπορευόμενοι κτα. καὶ οἱ ἄλλοι ἱερεῖς) ex lingua Aegyptia translatae et titulis Aegyptiis additae sunt. In his igitur vox Aegyptia quodam modo voce ἀρχιερέως reddita est. Graecus autem Ἐράτων, qui in titulo saec. a. Chr. I. Philis invento vocatur συγγενὴς καὶ ἀρχιερεὺς καὶ (ἀρχι)προφήτης τῆς μεγίστης θεᾶς Ἴσιδος (Lepsius, Denkm. XII, 87. 241, 250), in vetusto Aegyptiorum templo munere pontificis summi functus est. Id quidem notissimum est multos et sacerdotes et pontifices maximos in templis antiquis Aegytiis fuisse, ut in vetustissimo iam regno fuerunt etiam medici regis, archiatri, superpositi medicorum regis, ut nostris vocabulis utar (cf. A. Erman, *Ägypten und ägypt. Leben im Altertum*, 447). De illis autem ἀρχιερεῦσι Aegyptiis Herodotus iam verba fecit: II 37 ἱρᾶται δὲ οὐκ εἷς ἑκάστου τῶν θεῶν ἀλλὰ πολλοί, τῶν εἷς ἐστι ἀρχιερεύς. II, 143: ἀρχιερεὺς γὰρ ἕκαστος αὐτόθι ἱστᾷ ἐπὶ τῆς ἑωυτοῦ ζόης εἰκόνα ἑωυτοῦ (monstrantur autem statuae ἀρχιερέων inde a regni vetustissimi temporibus). II, 151: τῶν δὲ δυώδεκα βασιλέων - - - - μελλόντων κατασπείσειν ὁ ἀρχιερεὺς ἐξήνεικέ σφι φιάλας χρυσέας κτλ. Sed ἀρχιερεῖς Graeci in Aegypto ipsa Ptolemaeorum aetate nondum exstant. Quod autem nunc res ipsas perscrutantes invenimus institutum et ἀρχιατροῦ et ἀρχιερέως ab Seleucidis factum esse, aliis comprobatur. Viderunt enim P. M. Meyer (Heerwesen 61[206]) et M. L. Strack (M. Rh. LV (1900), 173sq.) totum ordinem dignitatum aulicarum (συγγενεῖς τοῦ βασιλέως, τῶν ὁμοτίμων τοῖς συγγενέσι, τῶν ἀρχισωματοφυλάκων, τῶν πρώτων φίλων, τῶν φίλων, τῶν διαδόχων) ab regno Ptolemaeorum per saeculum tertium alienum fuisse. *Ptolemaeum Epiphanem (205—181 a. Chr.) demum* (ita quae illi tum eruerunt apte paucis complexus est Guilelmus Dittenberger, Suppl. 104[2]) *circiter annum 190 a. Chr. haec omnia instituisse. Quod quoniam per idem illud tempus Epiphanes primus ex omnibus Ptolemaeis uxorem ex gente Seleucidarum duxisset, Antiochia Alexandriam translatum hoc institutum omnium maxime probabile esse, etsi nullum dum comparuisset testimonium quo iam ante illud tempus Seleucidas eo usos esse demonstraretur. Illos vero rursus partim, ut in* συγγενῶν *honore, Persica, partim, ut in* ἀρχισωματοφυλάκων *ordine, Macedonia exempla expressisse.* Sed hos titulos accipiebant Ptolemaei, ἀρχιατρούς omnino non, ἀρχιερεῖς partim tantum (Cypri) instituebant.

aedificandis architectus optimus peritissimusque omnium est et res difficillimas agit, ita archiater etiam est medicus, qui inter alios excellit et propterea ad proprium et grave officium vocatus est. Qua in re R. Briau assentiendum est, qui universam archiatri naturam ita apte definivit (l. l. p. 127): *Ce caractère (le c. général), c'est qu'ils étaient tous nommés par des corps constitués ou selon un mode établi par le gouvernement impérial; c'est-à-dire qu'ils avaient tous une empreinte officielle et des fonctions commandées et obligatoires: ils étaient médecins fonctionnaires ..... Il (le titre d'archiâtre) n'était en réalité qu'une marque d'honneur qui désignait le médecin fonctionnaire à la consideration et au respect de tous.* Quibus in verbis res Romanas vir ille doctissimus spectat, quas adhuc non exposuimus. Sed ab initio ita fuit, ut archiatri munere certo et definito fungerentur et ab rege aliove in hunc locum promoverentur.

Ab regibus Orientis Graeci munus et nomen via directa ad imperatores Romanos transiisse opinio communis est. Sed uno iam exemplo C. Stertinii Xenophontis medici Claudii imperatoris ita non esse planum faciemus. Multae enim inscriptiones eius et Graecae et Latinae exstant, eius ipsius vel ad eum pertinentes (inter 24 Graecos undecim sane textum eundem exhibent), scriptoresque mentionem Xenophontis faciunt, de quo postremum disseruit R. Herzog (l. l. p. 189 sqq.)[26]) Nemo hunc medicum Claudii dicit archiatrum, nec Plinius (NH. XXIX 7) nec Tacitus (Ann. XII, 61 et 67), sed »medicum« tantum tradunt, sicut etiam Laertius Diogenes (II, 6 n. 16), si verba ad Xenophontem Claudii medicum spectant, simpliciter scripsit ἰατρός. Verum etiam in inscriptione Latina Romae reperta »medicus« traditur: *Cosmiae C. Stertini · Xenophontis | medici · Augusti | vix · ann · XVIIII | Blastus · conservos · D · S · et | Iuliae Thymele | matri* (CIL. VI 8905). Quae inter inscriptiones Graecas ordinem indicant, altera Xenophontem Romae etiam, ut apparet, moratum ἰατρὸν Τιβερίου Κλαυδίου Καίσαρος nominat (Dubois, BCH. V (1881), 472, Calymni), altera Co reperta in basi statuae titulum quem quaerimus exhibet (PH. 345): Γ. κτα. Ξενοφῶντα τὸν ἀρχιατρὸν

---

[26]) Qui cum scripta pertinentia ad Xenophontem composuerit (p. 190[1]), addatur: Rayet, Annuaire de l'association pour l'encouragement des ét. grecq. IX, 271 sqq. R. Briau, L'archiâtrie romaine, p. 43 sqq.

τῶν θεῶν Σεβαστῶν καὶ ἐπὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἀποκριμάτων, χειλιαρχήσαντα καὶ ἔπαρχον γεγονότα τῶν ἀρχιτεκτόνων καὶ τιμαθέντα ἐν τῶι [τῶ]ν Βρεταννῶν θριάμβωι στεφάνωι χρυσέωι καὶ δόρατι κτλ. Sequitur igitur, ut C. Stertinius in amplissimo statu apud Claudium collocatus esset, qui medico, *cuius scientia ipse utebatur* (Tac. Ann. XII 61), sicut reges illi Graeci alia etiam dabat mandata. Sed statua temporibus Neronis erecta est; cum Xenophontem [φιλονέρων]α etiam appellavissent (vs. 11),[27]) quod quidem verbum, ut fiebat, postea erasum est, et cum Xenophon in hoc titulo esset ἀρχιερεὺς τῶν θεῶν καὶ ἱερεὺς διὰ βίου τῶν Σεβαστῶν καὶ Ἀσκλαπιοῦ καὶ Ὑγίας καὶ Ἠπιόνης (vs. 14sqq.). Similiter in inscriptione nuper Co effossa (R. Herzog, Arch. Anz. 1903, 193) Xenophon ipse se nominat τὸν ἱερέα αὐτῶν διὰ βίου (Ἀσκληπιοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ καὶ Ὑγίας καὶ Ἠπιόνης), atque hic etiam in rasura quadam de Herzogii coniectura φιλονέρων fuit. Haec inscriptio certe Neronis aetate exarata est, cum Xenophon ipse statuam consecraverit cumque novo honore herois a populo ornatus sit, qui honos in inscriptionibus Claudii aetate incisis non invenitur, sed apte ei Coum regresso[28]) decernebatur. Cum autem in inscriptione priore, in qua ἀρχιατρός legebatur, et φιλονέρων et ἱερεὺς διὰ βίου τῶν Σεβαστῶν καὶ Ἀσκλαπιοῦ καὶ Ὑγίας καὶ Ἠπιόνης insit, apparet hanc quoque conceptam esse temporibus Neronis, cum Xenophon paullo post Claudium suo auxilio mortuum, quia Romae imperatore necato manere non poterat (cf. R. Herzog l. l. p. 195), Coum redierat.

Quae cum ita sint, quid veri similius est, quam Coos ipsos simplicem, »medicum Augusti« in titulum magnificentiorem mutavisse archiatri promptum ex more Graecorum, ut virum de se bene meritum eo magis honorarent? Sed vere Romanos hoc quidem tempore titulo archiatri nondum usos esse alii tituli approbant:

IG. XIV 1759. Romae. Τιβέριος Κλαύδιος Κουιρείναι Μενε-

---

[27]) Quod Paton (l. l.) et Dubois (BCH. V, p. 474[1]) ante φιλονέρωνα eodem loco etiam φιλοκλαύδιον fuisse hac una de causa contenderunt, quia sic spatium erasum melius expleretur verbo longiore, eo refellitur, quod in versu inferiore decem ipsae litterae (= φιλονέρωνα) id spatium occupant, quo in superiore rasura est; itaque φιλοκλαύδιον, cum litteras duodecim habeat, non melius, sed peius in rasuram init. Similiter et aliis de causis iam Dittenberger (Syll.[2] 368[7]) et Herzog (l. l. p. 198) coniecturam illam respuerant.

[28]) cf. nunc R. Herzog, Arch. Anz. 1905, p. 9/10.

κράτης ἰατρὸς Καισάρων, cui a discipulis scholae conditae ab eo sepulcrum (ἡρῷον) paratur. Medicus Caesarum complurium ex familia Claudia.

IG. XIV 1751. Romae. Τι. Κλαύδιος Ἄλκιμος ἰατρὸς Καίσαρος, cuius sepulcrum Restituta quaedam res medicas docta ab Alcimo curandum fecit. Medicus Claudiorum alicuius, quamquam sane formae litterarum in tempus posterius deducunt. (Sed erret Harnack (*Medizinisches aus der ält. Kircheng.* p. 14) qui titulum Christianum et aetate Byzantina esse contendit).

Benndorf u. Niemann, *Reisen in Lykien und Karien* p. 63 nr. 30 et p. 64 nr. 32. Sidymae. Titulus dedicatorius in porticu, quam Τιβέριος Κλαύδιος Σεβ[αστοῦ ἀπ]ελεύθερος Ἐπάγαθος ἰατρὸς ἀκκῆσσος τοῦ ἰδίου πάτρωνος cum alio quodam (cf. 32) et Claudio imperatori et Dianae et deis aliis consecraverat. Idem Ἐπάγαθος ἀπελεύθερος ἰατρὸς ἀκ[κῆ]σσος τοῦ ἰδίου πάτρωνος una cum Tib. Claudio Tib. f. Quir. Liviano statuam Claudii statuendam curavit (nr. 32). — Quibus titulis additur ad »medicum Augusti« quidam »medicus accensus Augusti«, qui igitur medicos Augusti in serviendo valetudini Caesaris ipsius adiuvabat. Qui quamquam servus erat, non inter servos medicos ducendus est, qui homines et maxime servos aulae imperatoriae curabant. Quibus praeerat quidam »supra medicos« aut »decurio medicorum« aut »superpositus medicorum«,[29]) inter quos omnes aulae imperatoriae medicos archiatrum locum non habere late patet.

P. Perdrizet et Ch. Fossey BCH. XXI (1897), p. 66, 3. Rev. arch. 1897, I p. 355. Byzant. Zeitschr. XIV (1905) p. 20 nr. 5. Laodiceae ad Libanum. (? — Tell Nebbi Mindu) . . . . [Λικ]ίννι[ον?] . . . . | Φι[λ]ιππικὸ[ν] | ἰατρὸν Σεβ(αστοῦ) | Φλ. Σακέρδος | Ἐμίσηνος τὸν | αὑτοῦ φ[ί]λον. Imperatoris nescio cuius medicus. Sed Hadrianum, cum in Syria versaretur, aut alium imperatorem ibi versatum curasse et propterea ut titulum medici Augusti sibi adsumeret impetrasse videtur. Ad tempora posteriora litterae formis rotundis (ϵϹλ) pertinent.

G. Hirschfeld, Greek inscr. in the Brit. M. 799. Cnidi. In basi statuae publice erectae: Σερούϊος [Σουλ]πίκιος Ἀπολλωνίου υἱὸς Ἑκαταῖος ὁ ἰατρὸς καὶ φίλος τοῦ Σεβαστοῦ, ad quae verba

[29]) CIL. VI 3982: *M. Livius Liviae l. Orestes supra med(icos);* CIL. VI 3984 (cf. 3983); *M. Li[vius] Boeth[us] dec(urio) medico[rum];* CIL. VI, 8504: *D. M. T. Fl. Paederot. Aug. lib. Alcimiano superposito medicorum* eqs.

extrema medicos regum Graecorum conferas, qui τῶν πρώτων φίλων βασιλέως καὶ ἀρχιατρός vocabantur (p. 26) et Eudemum *amicum et medicum Liviae* (Tac. Ann. IV, 3). Cum ex nomine Servi Sulpici eluceat eum civitatem a Galba accepisse, huius vel alicuius posteriorum medicus fuit. Adnotavit etiam Newton litteras tituli Hecataei aliquanto priores esse tituli Hadriani eodem loco reperti.

Falsa autem est inscriptio CIG. 3285 in anaglypho sepulcrali Smyrnaeo nunc in museo Veronensi conservato, id quod et contextus verborum et formae litterarum et locus inscriptionis sub anaglypho demonstrant. Ibi legitur: Μᾶρκον Ἀρτώριον Ἀσκληπιάδην | θεοῦ Καίσαρος Σεβαστοῦ ἰατρὸν | ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν Σμυρναίων | ἐτίμησαν ἥρωα πολυμαθίας χάριν. Patet iam inscriptionem inepte compilatam esse ex eis quae scriptores Romani passim de Artorio medico Caesaris Augusti tradunt. Quam inscriptionem esse vitiatam Maffei iam olim (Mus. Ver. XLVII. 4) Boeckhio non multum persuadens et tum iterum Duetschke (Antik. Bildw. IV, 539) contenderat. Quod nemo negabit, qui anaglyphum ipsum aut imaginem ope lucis expressam viderit.[30])

Sed ne in falsis operam perdamus titulis. Pergamus afferre testimonia, quae demonstrant medicos Caesarum saeculo primo et ineunte altero publice nondum archiatros nominatos esse. Exstant enim Latini etiam tituli:

CIL. VI, 3985 *Tyrannus Liviae medicus* (cf. ibid. 3986 et 87 alios Liviae medicos, quorum tabulae in columbario libertorum et servorum Liviae Augustae et Caesarum inventae sunt, unde etiam tituli supra laudati adn. 29, 1 et 2).

CIL. VI 8646 et 47 exstant duo »medici domus Augustae«.

CIL. VI 8895: *L. Arruntio Semproniano Asclepiadi Imp. Domitiani medico* eqs. (cf. Plin. NH. XXIX, 5).

CIL. XIV 3641, Tibure: *D. M. Ti. Claudio Aelio Sabiniano medico Aug* ////// *Pedanius Rufus amicus.*[31])

---

[30]) Copiam videndi praebuit E. Pfuhl anaglyphi imagine photographica amabiliter dono data.

[31]) Testem adhibet R. Briau (l. l. p. 39) etiam inscriptionem Taurinensem Grut. p. 632,6 al.: ACRONIP|MEDICO AVG|eqs. Sed exemplum melius exhibet (v. CIL. V, 7043):

ACRON
MEDICO M
eqs.

Multi alii »medici« inter officiales ex familia Augusta, qui quidem servi sunt aut liberti, ibidem exstant (CIL. VI 8894—8910).[32])

Certe igitur constat Domitiani etiam medicos titulo antiquo »medicus Augusti« esse usos. Qui titulus ex Aegypto, ubi βασιλικὸν ἰατρὸν illum inveneramus (v. p. 28), Romam translatus esse videtur, archiatri autem titulum Graeci ex Asia oriundi in Italiam importaverunt. Nam quod Galenus Andromachum Neronis medicum archiatrum nominat (K. vol. XIV, p. 2: Ἀνδρόμαχος ὁ Νέρωνος ἀρχιατρός κτλ. cf. supra »Imp. Domitiani medicus«), verisimile est, quod in sua patria mos erat, Galenum in res alienas transtulisse. Fuit igitur Andromachus medicus (vocat eum Galenus brevi ante loc. cit. simpliciter ἰατρόν) et factus est »medicus Augusti«, id quod Galenus, Graecus quidem verborum amans, voce ἀρχιατροῦ interpretatur. Neque aliter iudicandum est de aliis archiatris ab Galeno laudatis: K. Vol. XIV p. 261: Μάγνος δὲ ὁ καθ' ἡμᾶς ἀρχιατρὸς γενόμενος et paullo post Δημήτριος δὲ καὶ αὐτὸς καθ' ἡμᾶς ἀρχιατρὸς γενόμενος. Quos Romae factos medicos imperatorios (ut de Demetrio medico Marci Aureli constat: Gal. XIV p. 4) Galenus vocabulo a Romanis nondum usurpato, sibi autem noto et grato vocare videtur. Nam tertio etiam saeculo Lampridius tradit medicum imperatorium ab Severo Alexandro salario firmo conductum et *medicum Palatinum* nominatum esse (Alex. Sev. c. 42). Denique ad Iuven. X, 221 Themiso, qui primo vixit a. Chr. n. saeculo neque unquam medicus Augusti ullius fuisse potest, ab scholiasta archiater vocatur. Sed scholion illud (ed. Jahn-Buecheler: *Themison a. archiater illius temporis cui detrahit*), cum in Pithoeano a manu prima scriptum legatur, non recentissimorum est, tamen sexto demum saeculo exaratum esse potest. Quo tempore vox archiatri pro simplici medici iam usurpata esse videtur ut est cum hoc vocabulum circa annum 800 ad Germanos transflueret, apud quos pro antiquo medici vocabulo recipiebatur.[33])

Quae cum ita sint, res hoc modo disceptanda est: titulus

---

[32]) Conferas etiam Iacob. Arata, *L'arte medica nelle iscrizione latine* (Genova 1902), ubi non pauci tituli Latini medicorum (Aesculapii, aliorum deorum sanantium) ex voluminibus nonnullis Corporis Inscr. Lat. raptim sunt collectae.

[33]) cf. Grimm, Dwb. I, 577; Kluge, Etym. W. p. 20. — ahd. arzât. mnd. aersatre, aersater, ersater, ersetre. mhd. arzât, arzet. nhd. arzt.

archiatri, quo reges Orientis Graeci utebantur, non continuo ab imperatoribus Romanis excipiebatur, sed in urbes Graecas transiit et prioribus aevi Romani saeculis ab Graecis hominibus tantum usurpabatur.

Quod praeter ea, quae adhuc exposuimus, multi archiatrorum tituli demonstrant, qui in urbibus Graecis et maxime Asiae Minoris inventi sunt. Cum in his ad vocem archiatri nihil aliud adiunctum sit, ab urbe in qua erant medici hoc nomine vocati esse videntur. Accedit, quod ter non ἀρχιατρός solus sed ἀρχιατρὸς τῆς πόλεως vel ἀρχιατρὸς πόλεως dicitur. Hi tres igitur medici municipales vel ut adhuc diximus publici erant, ita ut alii etiam ἀρχιατροί ab urbe sic vocati medici publici fuisse videantur. Cum autem tres illi tituli ἀρχιατρῶν τῆς πόλεως in urbibus reperti sint, quae longe inter se distant, cum prima in Asia, secunda in Graecia, tertia in Italia sita sit, hac re iam demonstratur aevo Romano morem Graecorum, ut valetudinem civium medicis publicis mandarent, per totum imperium Romanum diffusum esse neque umquam Graecos ipsos a more suo destitisse. Sed accuratiora proferamus de tribus illis titulis:

49. CIG. 2714; Lebas, Voyage V, 314—318. In urbe Cariae Euromo. Eadem inscriptio dedicatoria quinque aut si imagini Fellowii (*Asia Minor*, p. 260) fides habenda est octo columnis templi alicuius affixa est. Quas dedicavit columnas Μενεκράτης Μενεκράτους ὁ ἀρχιατρὸς τῆς πόλεως στεφανηφορῶν κτλ. Quo tempore columnae dedicatae tabulis praefixae sint, certe dici non potest. Formae litterarum mea quidem sententia altero saeculo antiquiores non sunt (ⅭWNH). Sed structuram et formas templi ipsius atque columnarum (v. *Antiquities of Jonia* I, cap. IV, tab. 1—5) recentiores aetate Hadriani non esse et inter Augusti et Hadriani tempora cadere R. Delbrueck mihi asseveravit.

50. IG. IV, 782. Troezene. In basi statuae Aesculapii, ut satis certum est, quam urbi dedicavit Ἀγασικλείδας Ἀγασικλείδα ὁ ἀρχιατρὸς τῆς πόλεως ἀγορανομῶν τὸ ξθ (coni. Bursian al., ζθ in lapide) ἔτος. Cum aera ab Hadriani itinere Peloponnesiaco deducenda sit, titulus, si recte illud coniectum est, anni p. Chr. 192 est.

51. IG. XIV, 689. In Hirpinorum urbe Aeclano. In basi statuae Aesculapio dedicatae. Quam constituendam curavit Γ. Σάλουϊος Ἀττικιανὸς ἀρχιατρὸς πόλεως. Vix saec. p. Chr. II. antiquior.

Quibus ab ἀρχιατροῖς τῆς πόλεως vix ei medici distinguendi sunt, qui solum ἀρχιατροὶ in titulis vocantur. Quos titulos nunc per locos disponamus, quo facilius quanto archiatri in Asia Minore frequentiores sint perspiciatur:

52. Heberdey u. Wilhelm, *Reisen in Kilikien* (1891 u. 92) (Denkschr. d. K. A. d. W. in Wien, Ph.-h. Kl. Bd. XLIV, VI), p. 20 nr. 51. Rhossi (in loco *Arsâs* in Cilicia). Titulus sepulcralis christianus Κυρίλλου τοῦ τιμιωτάτου καὶ ἐναρέτου ἀρχειατροῦ. Valde recens.

53. Ibid. p. 84 nr. 161. Olbae (in loco Ciliciae *Uzundschaburdsch*). Basis statuae: M. Αὐρήλιον Μένανδρον Μενάνδρου τὸν ἀρχιατρόν κτλ. II. saec. altera parte non prior.

54. Petersen und v. Luschan, *Reisen in Lykien etc.* p. 176 nr. 225. In via, quae ab loco *Elmaly* Cibyram ducit. Tit. sepulcr.: [Φιλ]όλογον ἀρχ[ιατρ]όν? κτλ. II. saec.?

55. Benndorf u. Niemann, *Reisen in Lykien und Karien.* I p. 78 nr. 55. Sidymae in sarcophago. M. Αὐρ. Πτολεμαῖος [ὁ καὶ Ἀριστ]όδημος Ἀριστοδήμου τοῦ καὶ Λύσωνος Ἀρισ[τοδήμου] Σιδυμεὺς ἀρχιατρὸς τετειμημένος ὑπὸ τῶν Σεβαστῶν καὶ τῆ[ς] πατρίδος ἀλιτουργία κτλ. Altera parte saec. II. non antiquior.

56. CIG. 4277. Xanthi. Tit. sepulcr. Κλαυδίου Ἐπικτήτου ἀρχιατροῦ. II. saec.?

57. P. Paris et M. Holleaux, BCH. IX (1885), p. 336 nr. 19; rectius Sterret, Papers of the Americ. School, II (1883/84), p. 21 nr. 17. Heracleae-Salbacae (in Caria). Basis statuae. Statuebat nescio quis quendam .... ου Χαρμίδου Μεν[άν]δρου πρύτανιν καὶ στ[ε]φανηφόρον καὶ ἀρχιατρόν, [ἕ]να τῶν εὐγενεστάτων καὶ εὐσχημονεστάτων, ἀπὸ προγόνων βουλευτῶν, πάσας ἀρχάς τε καὶ λειτουργίας ἐκτ[ετελε]κότα τῇ πατρίδι κτλ. II. saec. altera parte non prior.

58. P. Paris et M. Holleaux, BCH. IX (1885), p. 337 nr. 20. Heracleae-Salbacae. Basis statuae. Totum do titulum: [Χ]αρμίδην πρύτανιν | καὶ στεφανηφόρον | υἱὸν M. Αὐρ. Χαρμίδου | πρυτανέως καὶ στε|φανηφόρου καὶ ἀρχι|ατροῦ. cf. tit. 57.

59. CIG. 3953h. »in oppido *Makuf*«, Heracleae-Salbacae, ut nunc constat (Waddington apud Lebasium III, 1695. Paris et Holleaux, BCH. IX (1885), p. 330 sqq.). Tit. sepulcr. Παππίου .... ου ἀρχιατροῦ ἀπογόνο[υ] ἀρχιατρῶν. II. saec. vel recentior.

60. Babington, Transact. of the Royal Soc. of Lit., II. Ser. Vol. X, p. 126 nr. 25; E. L. Hicks Journ. of. H. St., XI (1890), p. 127 nr. 11. In urbe Cariae Ceramo. In basi rotunda protomae vel statuae, quam urbs imperatori C. Valenti Hostiliano Decii filio erexit. Verbis dedicatoriis subscriptum est: M. Αὐ. Β(αλέντι) Πολείτῃ β̄ τῷ ἀρχιατρῷ πρώτῳ ἄρχοντι τὸ β̄. Anni 251.

61. C. T. Newton, *Discov. of Halicarn. etc.* II, p. 790 nr. 96. Laginae. In basi duarum statuarum. In fine inscriptionis tempus inter cetera verbis his definitur: ἐπιμελουμένου τῶν Μυστηρίων Σουλ. Δημητρίου τοῦ ἀξιολογωτάτου ἀρχ[ια]τροῦ. Saec. II. partis mediae, ut ex nomine Π. Αἰλ. Αὐρ. Νέωνος apparet.

62. Lebas-Waddington III, 568. Alabandae. Tit. sepulcr.: Ἑρμέρωτος ἀρ|χιατροῦ· ζῶ. | Αὐρ. Διονυσίου· | ζῇ. (editor partem priorem restituit: [Τῶν] Ἑρμέρωτος ἀρχιατροῦ (sc. οἰκείων). Ζῶ[σιν].) II. saec. partis alterius non prior.

63. CIG. 2847. Aphrodisiade. Tit. sepulcr. Μάρκου Αὐρηλίου Μεσσουλήίου Χρυσαορ[έω]ς ἀρχιατροῦ. Aetatis Antoninorum.

64. A. E. Contoléon, REG. XII (1899), p. 382 nr. 3. Trallibus. In sigillo ferreo cum capulo legitur: Εὐκάρπου ἀρχιατροῦ. De tempore editor, qui titulum litteris parvis mandavit, nullum verbum addidit. Sed certe ad saecula posteriora spectat.

65. CIG. 2987; Lebas V, 161. Ephesi. In basi statuae [Ἀττ]άλου Ἀσκληπιάδου Πρείσκου φιλοσεβαστοῦ ἀρχιατροῦ διὰ γένους, cuius munera honoraria multa adduntur. II. fere saec.

66. Hicks, *Greek Inscr. in the Brit. Mus.* 677. Ephesi. Tit. sepulcr. .... Ἰο[υλίου?] ..... ἀρχειατροῦ hominis Iudaeici ut ex verbis quae sunt in fine intelligitur: [Ταύτης τῆ]ς σοροῦ κήδον|[ται οἱ ἐν Ἐφέ]σῳ Ἰουδέοι. II. vel III. saec.

67. M. A. Wagener, *Inscr. Gr. rec. en Asie Min.* p. 20, 3 et tab. A (*Mémoires des Prix de l'Acad. de Bruxelles* 1861). Μουσ. κ. βιβλ. III (1880), p. 159 nr. τιθ'. K. Buresch, *Aus Lydien* (ed. O. Ribbeck 1898) p. 55. In urbe Lydiae Coloe. In lapide marmoreo arae simili legitur: Αὐρή[λιο]ς Ἀρτεμίδωρος | ὁ ἀρχιατρὸς καὶ ἱεροφάν|της εἱδρύσατο. Nescio qui K. Buresch coniecerit Artemidorum in ἱερᾷ συμβιώσει muneribus sacerdotalibus archiatri et hierophantae esse functum. Equidem intelligo: ὁ ἀρχιατρὸς τῆς πόλεως καὶ ἱεροφάντης θεοῦ τινος, fortasse Ἀσκληπιοῦ. II. saec. vel III. ineuntis.

68. Lebas-Waddington III, 1523. Smyrnae. Fragmentum temporis Traiani. Fortasse versus 2. restituendus est: .... νον ἀρχια[τρόν].

69. I. A. R. Munro, I. of H. St. XVII (1897), p. 286 nr. 54. In loco Mysiae *Säujilar.* Stela sepulcralis Αὐρ. Ἱεροκλεῖ [β'] τῷ ἀρχιατρῷ consecrata ab filio Αὐρ. Ἱεροκλεῖ γ'. Saec. II. exeuntis vix antiquior.

70. CIG. 3943. Lampsaci (nunc Oxonii). Basis statuae a gerusia Κύρῳ Ἀπολλωνίου ἀρχιατρῷ ἀρίστῳ πολείτῃ κτλ. auctori beneficiorum magnorum erectae. Quem Cyrum eundem esse ac *Cyrum Liv(i)ae Drusi Caes(aris) medicum* (CIL. VI, 8899) olim viri docti male putabant. Non autem repugnabo, si quis Cyrum Apollonii f. Lampsacenum, qui patri sepulcrum et funus consecravit (CIG. 3645), illum esse archiatrum existimat. Uterque titulus ad II., ut videtur, pertinet saeculum.

71. Perrot, *Exploration de la Galatie et de la Bithynie*, p. 48 nr. 27. Kaibel, EG. 352. Titulum multo accuratius lectum nuper edidit G. Mendel BCH. XXVII (1903), p. 317 nr. 6. Claudiopoli. Tit. sepulcr. Acilii Theodori archiatri (ἰατρῶν πρό[μου] quod ut nuper in lapide lectum est Georgius Kaibel iam restituerat). Sepulcrum eius faciendum curaverunt filius et Θεόδωρος ἀρχιατρός propinquus.

72. G. Lefebure, BCH. XXVII (1903), p. 375 nr. 115. In loco Aepyptio *Tehneh*, ubi fortasse fuit oppidum vetus Acoris. Stela sepulcr. reperta in christianorum coemeterio saec. V. vel VI.: Πρώτερις | ἀρχιατρὸς | ἐκοιμήθη | ἐν Κ(υρί)ῳ | Παχὼν κα.

73. IG. XII, 2, 484. In insula Lesbo a Conze olim reperta Hierae. Basis statuae a senatu populoque Mytilenorum, ut verisimile est, constitutae: [Ἡ β]όλλα καὶ ὁ δᾶμος Βρῆσον Βρήσω ἀρχιατρὸν ἀλιτού[ρ]γατον, ζὰ τῶν παίδων

δὲ καὶ ἐκγόνων ἀρχὰς καὶ ἄλλας καὶ κισσοφορίας καὶ ἀγορανομίας ἐπιτετελέκοντα, quae munera multa alia praecipue sacerdotalia archiatri ipsius sequuntur, inter quae ζάκορος Σαώτηρος Ἀσκληπίω (v. 21 sq.). II. ut videtur saec.

74. Paton and Hicks, Inscr. of Cos 282. Co. Tit. sepulcr.: — — — Κοσ[σεινί]|ου Βάσσου ἀ[ρ]|χιατροῦ ἐτῶ[ν] | κα. II. saec?

75. R. Herzog, Koische Funde u. Forsch. p. 92 nr. 115. Co. Tit. sepulcr.: Γά. Ἰούλιος | Πρωτόκ(τ)ητος | [ἀ]ρχιατρός. I. saec.

76. IG. XII, 3 259. Anaphes. Basis statuae: Εὐγνώμων Εὐγνώμωνος | ἀρχιατρὸς Ἀπόλλωνι | Αἰγλήτῃ εὐχήν. Litterae apicibus longis et multis ornatae. I. saec.?

77. CIG. 1407. Spartae. Fragmentum basis statuae: — — σω]τῆρος τῆς πόλεως | καὶ ἀρχιατροῦ | ψ. [β.]. II. fere saec.

78. IG. IV 723. Hermiones. Basis statuae Aureliae filiae mortuae Λεοντίδα [τοῦ πε]ρι[η]γητοῦ καὶ ἀρχιατροῦ. Nomen [Α]ΥΡ[ΗΛ]ΙΑΝ (vs. 1) ex ΥΡΝΑΙΑΝ K. Keil emendavit (Jahrb. für kl. Phil. II. Suppl.-Bd. 1856/57, p. 386) quod fugit editorem Corporis, qui cum Boeckhio (CIG. 1227) [Σμ]υρναίαν dedit. Nomine Aureliae agnito titulus ad aetatem Antoninorum vocatur.

79. IG. VII 2688. Thebis. Tit. sepulcr.: Ἐπὶ | Χαρέᾳ ἀρχια|τρῷ ἥρωι. Litterae multis apicibus ornatae. Fortasse saec. I. potius quam II.

80. IG. XIV 852. CIL. X, 2858. Puteolis. Tit. sepulcr. bilinguis cum nomine Latine scripto Q. Passeni archiatri (ARCHIA|T). II. fere saeculi (Kaibel, EG. 677: I. fere saec.).

81. G. I. Ascoli, *Iscrizione etc. di antichi sepolcri Giudaici del Napolitano* p. 55 nr. 10 (cf. p. 54,7). CIL. IX 6213 (cf. 6211 et 12). Lenormant, Gazette archéol. VIII (1883), p. 42. Venosae. Tit. sepulcr.: ὧδε κῖτε Φλ. | Φαυστῖνος γερουσι|άρχον ἀρχιατρός | υἱὸς τοῦ Ἰσᾶς ἐτῶν .. Saec. IV vel V. potius.[34])

Quos titulos si contuemur mirum est Asiam Minorem adeo praevalere. Viginti et unus enim sunt tituli Asiae Minoris, octo tantum Graeciae et insularum, duo Italiae, unus Aegypti. Sequitur, ut quodam tempore in Asia Minore titulo archiatri praecipue faveretur. Quod quo tempore factum sit, ex nomine Aurelii, quod saepe in inscriptionibus illis extat, facile coniicitur. Quod nomen cum demum aetate Aureliorum Antoninorum apud Graecos pervulgatum sit, inscriptiones illas ante M. Aurelii tempora incisas non esse intelligitur, inde a quibus illud nomen per sae-

---

[34]) Rangabé, (Ant. Hell. 426) suspicatus est in Archippi duobus decretis honorum IG. II 230a vs. 9: ΝΑΡΧΙΠΠΟΝΤΟΝΑΡΧΙ legendum esse . .]ν Ἄρχιππον τὸν ἀρχι[ατρόν]. Sed haec coniectura multis de causis reicienda est (cf. Wescher, Rev. arch. 1863 (VIII), d. 481[1]).

culum II. et III. audiebatur, sicut etiam inter titulos supra collatos M. Aurelii Valentis Politae (nr. 60) concepta est anno 251.

Neque casu factum esse, ut aetate Antoninorum titulus archiatri in Asia Minore effloresceret, ex alio sumi potest. Iulius Caesar olim medicis civitatem dederat quippe Romae artem exercentibus. Testatur Suetonius, Div. Iul. 42: *Omnisque medicinam Romae professos et liberalium artium doctores, quo libentius et ipsi urbem incolerent et ceteri adpeterent, civitate donavit.* Tum Augustus immunitatem addidit, sed etiam Romae tantum, ut videtur, factitantibus: Cassius Dio LIII, 30: τήν τε ἀτέλειαν καὶ ἑαυτῷ καὶ τοῖς ὁμοτέχνοις, οὐχ ὅτι τοῖς τότε οὖσιν ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔπειτα ἐσομένοις, ἔλαβεν (sc. Antonius Musa, postquam Augustum valde aegrotantem sanavit. — cf. Sueton. Div. Aug. 42). Denique munera municipalia omnibus medicis in patria sua factitantibus ab Hadriano condonata sunt, id est honores (gymnasiarchia, agoranomia, officia sacerdotalia), munera patrimonii (ad se milites recipiendi), munera personarum (iudicandi, obeundi legationem, conscribendi milites, comparandi frumentum et oleum, alia. — cf. E. Kuhn, *Die städt. u. bürgerl. Verf. d. röm. Reichs* I, 118). Leguntur haec in Digestis XXVII, 1 l. 6, 8: Ἔστιν δὲ καὶ ἐν ταῖς τοῦ βασιλέως Κομμόδου διατάξεσιν ἐγγεγραμμένον κεφάλαιον ἐξ ἐπιστολῆς Ἀντωνίνου τοῦ Εὐσεβοῦς: ... »ὁ θειότατος πατήρ μου (Hadrianus igitur) γράψας φιλοσόφους ῥήτορας γραμματικοὺς ἰατροὺς ἀτελεῖς εἶναι γυμνασιαρχῶν ἀγορανομιῶν ἱερωσυνῶν ἐπισταθμιῶν σιτωνίας ἐλαιωνίας καὶ μήτε κρίνειν μήτε πρεσβεύειν μήτε εἰς στρατεῖαν καταλέγεσθαι ἄκοντας μήτε εἰς ἄλλην αὐτοὺς ὑπηρεσίαν ἐθνικὴν ἤ τινα ἄλλην ἀναγκάζεσθαι. Quibus omnibus antea concessis libertatibus cum in Asia Minore multi essent medici aut qui medicinae peritiam sibi adsciscebant civitatesque immunitate eorum onerarentur, Antoninus Pius civitatibus Asiae Minoris lege praescripsit, ut certus tantum numerus medicorum muneribus liberandus esset. Quae lex Antonini Pii ex Modestini libro secundo excusationum in Digesta recepta est: l. 6 § 2 libri Dig. de excusationibus XXVII, 1: — — — δηλοῦται ἐξ ἐπιστολῆς Ἀντωνίνου τοῦ Εὐσεβοῦς γραφείσης μὲν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας, παντὶ δὲ τῷ κόσμῳ διαφερούσης, ἧς ἐστιν τὸ κεφάλαιον τοῦτο ὑποτεταγμένον· »Αἱ μὲν ἐλάττους πόλεις δύνανται πέντε ἰατροὺς ἀτελεῖς ἔχειν καὶ τρεῖς σοφιστὰς καὶ γραμματικοὺς τοὺς ἴσους, αἱ δὲ μείζους πόλεις ἑπτὰ τοὺς θεραπεύοντας .... αἱ δὲ μέγισται πόλεις

δέκα ἰατρούς .... ὑπὲρ δὲ τοῦτον τὸν ἀριθμὸν οὐδὲ ἡ μεγίστη πόλις τὴν ἀτέλειαν παρέχει«.[35])

Quae verba primo obtutu ad medicos publicos pertinere non videntur; tamen hos intelligendos esse facile perspicies, si epistulas imperatorum posteriorum ad archiatros missas spectaveris, in quibus veterum principum leges confirmantur et medici publici »archiatri« vocantur.

Nomen archiatrorum ipsum in libris Romanis primum in epistula Constantini imperatoris extat, quae in Codice legitur Theodosiano XIII, III, 2 (a. 326). Imperator ille alio in rescripto »medicis« iterum *beneficia divorum retro principum* confirmaverat (C. Theod. XIII, III, 3), et sicut ante Constantinum a (Septimio) Severo (Dig. 6 § 8 l. XXVII, 1) sancta erant, ita privilegia *vetustis sanctionibus adtributa* ab imperatoribus tum medicis tum archiatris confirmabantur (v. C. Theod. XIII, III, 15. cf. ibid. § 3, 4, 17, 18. Cod. Iust. X, 53, 6 et 11; X, 66, 1. Instit. I, 25, 15. Fragm. Vat. 149).

Archiatros nominatos in his imperatorum epistulis medicos esse publicos apparet ex Constantini ad populum epistula anni 333 (C. Iust. X, 53, 6), in qua, postquam *medicis et maxime archiatris vel ex-archiatris* aliisque liberalium artium professoribus libertates confirmatae sunt, hoc dicitur: *Mercedes etiam eorum et salaria reddi iubemus, quo facilius liberalibus studiis et memoratis artibus multos instituant* (cf. Th. XIII, 3, 1. Diog. 16 § 1, XXXIV, 1). In quibus mercedes pecunias a privatis datas esse putamus, salaria autem annua a re publica accepta. Quae disertius etiam Lampridius memoriae tradit, cum dicit Severum Alexandrum medicos Romae instituisse *usque ad sex, qui annonas binas aut ternas accipiebant* (Alex. Sev. 42). Ex quibus sex Severi Alexandri medicis publicis quattuordecim urbis Romae archiatri prodierunt. Ita enim in Cod. Iust. (X, 53, 9)

---

[35]) Additque Modestinus ipse: εἰκὸς δὲ τῷ μὲν μεγίστῳ ἀριθμῷ χρήσασθαι τὰς μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν, τῷ δὲ δευτέρῳ τὰς ἐχούσας ἀγορὰς δικῶν, τῷ δὲ τρίτῳ τὰς λοιπάς. τοῦτον τὸν ἀριθμὸν ὑπερβαίνειν μὲν οὐκ ἔξεστιν οὔτε ψηφίσματι βουλῆς οὔτε ἄλλῃ τινὶ παρευρέσει, ἐλαττοῦν δὲ ἔξεστιν. Immunitates autem medicos adipisci non posse nisi in patria sua artem exercerent ut edixerat Hadrianus Antoninus asseveraverat. Tamen τοὺς ἄγαν ἐπιστήμονας καὶ ὑπὲρ τὸν ἀριθμὸν καὶ ἐν ἀλλοτρίᾳ πατρίδι atque omnes professores Romae habitantes (quod Augustus iam praescripserat) muneribus liberos fuisse ex Dig. l. 6 § 8 l. XXVII, 1 apparet.

et Theod. (XIII, 3, 8) de archiatris quattuordecim regionum constitutum est: *archiatri scientes annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari* eqs. et de eisdem C. Th. XIII, 3, 9 ex.: *hisque annonarum compendia quae eorum sunt meritis dignitatique praestanda tua sinceritas* (Olybrius *p. u.*) *iuxta dispositionem prius habitam fiat ministrari.* Romae igitur medici publici erant saeculo III. ineunte, qui IV. saeculo archiatri nominabantur, ita ut apte intelligatur, cum medici publici ex urbibus Graecis Romam profluxerint, qui ibi inveniuntur ἀρχιατροί, medicos publicos fuisse.

Tituli quidem archiatrorum cum plurimi breves sint et longiores etiam plerumque nihil nisi multa munerum nomina exhibeant, levia tantum praebent momenta, ut natura archiatrorum Graecorum cognoscatur. Tamen ex eo, quod munus archiatri una cum aliis muneribus publicis nominatur, munus archiatri publicum fuisse apparere videtur. Exempli causa Heracleae-Salbacae M. Aurelius Charmides πρύτανις καὶ στεφανηφόρος καὶ ἀρχιατρός nominatur (nr. 58 cf. 57), Cerami M. Aur. Valens Polites nominatur ὁ ἀρχιατρός (nr. 60) et eodem modo Aur. Artemidorus Coloae (nr. 67) et alii (nr. 53, 69). Iam vero si Attalus Asclepiades Priscus Ephesi ἀρχιατρὸς διὰ γένους est (nr. 65), cum hunc titulum ei aut alicui maiorum a populo datum esse necesse sit, munus archiatri publicum munus fuisse manifestum fit. Sed Galeni etiam locus (K. XVIII, 2, 678) demonstrat civitates saec. II medicinis (ἰατρείοις) quidem constituendis publice consuluisse, quem locum infra, ubi de medicina agemus, tractabimus (c. II § 4).

Adsunt autem illi ἀρχιατροὶ τῆς πόλεως, quos a populo conductos muneri medico praefectos esse ex titulo certe apparet. Verum cum etiam Charmidae illi, Politae, alii, quos supra contulimus, medici a populo instituti esse videantur, nihil iam inter utrumque titulum interest et ὁ ἀρχιατρὸς vel ὁ ἀρχιατρὸς τῆς πόλεως medicus publicus tum vocabatur. Nam ne leve quidem indicium exstat saec. iam II. vocabulum archiatri eandem habuisse vim ac simplex medici, cum praesertim multi medicorum tituli eiusdem temporis in Asia Minore reperti sint, in quibus medici ἰατροί simpliciter vocantur.[36]) Contra archiatri sunt »médecins fonctionnaires«.

---

[36]) CIG. 4249, 3872b. AM. XXIV, p. 211,34; XXIX, p. 169,12. IoHSt.

Quae cum ita sint, cum Antoninus Pius immunitatem medicorum in numerum definitum concluderet, medicis publicis a civitatibus Asiae Minoris, ut in numero illo clauso inessent, concessum esse videtur. Quare factum est, cum antea numerus publicorum vaccillaret, ut tum in oppidis, quo erant ampliora, quinque vel septem vel decem medici publici instituerentur. Simulque epistula illa efficiebatur, ut nomen archiatri, quo usque ad id non omnes usi erant, ad totum illum certum numerum medicorum publicorum transmitteretur et maxime per urbes Asiae Minoris dilataretur.

Haec non omnino nos comminisci testes habemus archiatros duos, qui sibi immunitatem praebitam esse praedicant: M. Αὐρήλιος Πτολεμαῖος κτα. ἀρχιατρὸς τετειμημένος ὑπὸ τῶν Σεβαστῶν καὶ τῆ[ς] πατρίδος ἀλιτουργίᾳ κτλ. (Sidymae, nr. 55), Βρῆσος Βρήσω ἀρχιατρὸς ἀλιτούργατος (Lesbi, nr. 73).

Sed tamen tenendum est vocem iam antea usitatam fuisse, atque tum etiam qui ea significabantur medici publici fuerint. Sunt enim inter inscriptiones archiatrorum nonnullae, quae non ad saec. II, sed ad primum aut saltem ad primam partem saeculi secundi pertinere videntur. Quae saepius, ut videtur, in Graecia ipsa inventae sunt. Quod quidem nullo idoneo argumento certius statuere possumus, cum plerumque aetas titulorum illorum non nisi ex litterarum formis agnoscatur. Quae quam incerta praebeant iudicia, inter omnes constat.[37]

Tamen Coorum archiatri (nr. 74 et imprimis 75, ubi nomina Γά. 'Ιούλιος respicienda sunt) haud scio an saeculi primi sint, cum praesertim eodem saeculo C. Stertinius Xenophon ibi iam ita vocatus sit (v. p. 33). Immo fortasse ab Cois, quippe apud quos medici multi et publici et alii fuissent, titulus archiatri ex aulis regum Orientis Graeci acceptus est et ab his paullatim ad alias urbes permanavit.

Quae utut se habent, saec. II. medici publici archiatri vocati in urbibus Graecis ubique exstant, atque ex his et insti-

X, p. 72, 24; XI, p. 251, 27; XXIV, p. 287, 33. BCH. VII p. 452 II vs. 12; XVIII, p. 160,4; XXIV, p. 403,79. Americ. Journ. IV, p. 13,13. Papers of the Am. Sch. III, p. 27,29 (= BCH. X 510). Lebas 1663b. Wood, *Disc. at Eph.* App. 7,7. Heberdey u. Wilhelm, *Reisen in Kil.* p. 69, 179. aliae.

[37]) cf. O. Kern, *Inschriften von Magnesia*, p. XXIX — XXXVII: »Die Geschichte der Steinschrift in Magnesia.«

tutum et nomen in alias provincias imperii Romani transiit praeter Aegyptum, quae ipsa antiquitus plurimos habebat medicos publicos. Nam per totum aevum Romanum medici ubique fere terrarum Graeci erant et sua verba et vocabula secum ferebant. Itaque saeculo altero in Italia etiam archiatri in municipiis inveniuntur (nr. 51, 80).

In Asia Minore primus etiam archiater imperatorius exstat, si Xenophontem non curamus. Inscriptionem eius in loco *Makuf* (Heraclea-Salbacae) inventam ediderunt olim Henzen Ann. d. Inst. 1852 p. 154 et Lebas-Waddington III, 1695. Legitur in basi: [Σ]τατειλίαν Ἀμ|μι[αν]ὴν Στ(ατείλιος) Ἄττα|λος ἀρχιατρὸς | Σεβαστῶν | τὴν ἑαυτοῦ μη|τέ[ρ]α. Qui Attalus quo tempore vixerit, ex nummis tribus eodem loco inventis cognoscitur. Qui in parte adversa capita Antonini Pii et Marci Aureli atque nomina eorum monstrant, in aversa autem inscriptionem: Στ. Ἄτταλος ἀρχιατρὸς Ἡρακλεωτῶν νέοις, quorum verborum duo extrema semel in parte adversa leguntur (v. *Cat. of Greek Coins, Caria* p. LVII et p. 120). Eodem igitur tempore, quo in Asia Minore ἀρχιατροὶ (τῆς πόλεως) saepissime inveniuntur, etiam ἀρχιατρὸς Σεβαστῶν hic exstitit. Qui si Romae quondam in aula imperatoria militavit, tamen in patriam demum reversus titulum ibi florentem sibi indidisse videtur, cum voce ampliore tum usurpata carere non posset. Nam Romae, ut iam vidimus, Alexander Severus etiam »medico Palatino« munus medicum mandaverat, et quarto demum saeculo medici imperatorii in epistulis Caesarum archiatri vocantur. Quo tempore nomina inveniuntur haec: »archiatri sacri Palatii« (C. Th. XIII, 3, 14 et 19), »qui in sacro Palatio inter archiatros militarunt« (C. Iust. X, 53, 11 = Th. XIII, 3, 16), »archiatri inter Palatium militantes« (C. Iust. XII, 13, 1 = Th. VI, 16, 1), »archiatri, qui intra penetralia regalis aulae« (C. Th. XIII, 3, 12).

Sed de his nunc accuratius non agemus. Nobis nunc quidem explicuisse satis esto per totum aevum Romanum medicos publicos inter Graecos non periisse, sed nomine mutato archiatros vocatos munere esse functos; hoc nomine institutum, quod Graeci suo ingenio perfecerant, ab imperatoribus Romanis iam antea affirmatum tum legibus eorum per totum imperium diffusum esse.

CAPUT ALTERUM.

DE RATIONE ET CONSUETUDINE MEDICORUM PUBLICORUM.

§ 1.

DE VOCABULIS USURPATIS DE MEDICIS PUBLICIS.

Antequam archiatri nomen percrebesceret, medicus publicus nominabatur ὁ δημόσιος ἰατρὸς vel ὁ δημοσιεύων ἰατρός. Sic legis in titulis Cois: καὶ τῶν ἰατρῶν τῶν [δαμ]οσ[ιευόν]των ἐν τᾶι πόλει κτλ. (nr. 7 vs. 7) et ἰατρὸν δαμοσιεύοντα (nr. 13 vs. 10) sic tradit Plato: εἴ τῳ τις τῶν δημοσιευόντων ἰατρῶν κτλ. (Politic. 259a). In Aegypto autem, ubi haec designatio diu vigebat, nunc δημόσιος ἰατρός dicitur (OP. I, 51), nunc ἰατρὸς δημοσιεύων (OP. I, 40). Sed vocabulo ἰατροῦ omisso saepe etiam ὁ δημοσιεύων tantum medicus publicus vocabatur. Quod optime demonstrat versus Aristophanis: ἀλλ', ὦ πονήρ', οὐ δημοσιεύων τυγχάνω (Ach. 1030).

At tamen omnes hae designationes non loco firmi tituli ut postea titulus archiatri habebantur. Saepe enim medici, quos muneri publico praefuisse certe constat, simpliciter ἰατρὸς vel ὁ ἰατρός appellabantur. Athenis ipsis inscriptio publici inventa est, in qua nominatur medicus publicus ὁ ἰατρός (nr. 2). Ut autem decretum novissimum proferamus, in titulo nuper Teni reperto Ἀπολλώνιος Ἱεροκλέους Μιλήσιος ἰατρὸς ὑπάρχων bis legitur (nr. 11), etiamsi Apollonius cum in urbibus aliis medicus publicus erat (vs. 7)[38]) tum Teni munere publico fungebatur (vs. 15).

[38]) Neque enim in hoc versu (7) mihi comprobatur coniectura Demulini: ἔτη πολλὰ δωρεάν. Cum antea ἀποδημῶν legatur atque hoc verbo dicatur Apollonium, ut saepissime fecerunt medici publici, Tenum reliquisse, postquam laude, corona, honoribus aliis affectus est (vs. 6 et 37), sic fere versum septimum

Similia habes in decreto Amphissiorum: ἐπειδὴ Μηνόφαντος Ἀρτε-

---

explendum esse puto: ἀποδημῶν τε καὶ δημοσιεύων [ἐν ἄλλαις πόλεσι], ad quae apte conveniunt, quae continuo insequuntur: ἐκτενῆ καὶ πρόθυμον ὁμοίως (atque apud Tenios) ἑαυτὸν παρείχετο [κατά τε τὴν τέχνην] καὶ κατὰ τὴν λοιπὴν εὔνοιαν πᾶσι τοῖς ἐντυγχ[άνουσιν αὐτῶι]. Ut perspiciatur quod tum deest quo modo supplendum sit, ab decreto concilii insulanorum, quod in hac prima parte integrius conservatum est, proficiscamur oportet. Facile partes tres in hoc decreto intelliguntur: prima vss. 34—38 in., in qua honores antea iam decreti commemorantur (cui parti vss. 3—7 in. psephismatis Teniorum respondent), altera vs. 38/39 nihil accuratius exhibens: ἔν τε τοῖς μετὰ ταῦτα χρόνοις διατετέλεκεν ἀκόλουθο[ν ἑαυ]τὸν παρεχόμενος τεῖ ἐξ ἀρχῆς αἱρέσει, tertia denique rem ipsam continens, propter quam insulani quoque Apollonium honoraverunt, vs. 39 sqq.: περιστάντων δὲ [λοιμῶν ἐπι]δήμων ([παθῶν ἐν]δήμων Dem.) κατὰ κοινὸν τοὺς νησιώτας κτλ. (usque ad vs. 46). Consentaneum est in decreto insulanorum, quod eorum ipsorum maxime interest, pluribus verbis explicatum esse quam in Teniorum, quippe qui quae ad se pertinerent accuratius exposuerint. Itaque parti tertiae illi in decreto Teniorum respondent vs. 15—19 (vel tantum 16 et 17). Quos ita supplere fortasse licet: vs. 15: νῦν τε λαμβάνων τὸ δημόσιον [ἔργον παρὰ τῆς πόλεως φιλάνθρωπος ἦν καὶ | λοιμ]οῦ περιεστηκότος ἐπικινδύνου ἅπ[αντας τοὺς] νησ[ιώτας ἔσωι]σε ὡς πλείστους] κ[αὶ κα]τ[ὰ] τ[ὰ ἄ]λλ[α] πρό[νοιαν ἀποδεικνὺς ἰάτρευσε δη]μοσίαι κτλ., quorum complura iam Demoulin explevit). Quae autem in altera parte decreti insulanorum paucis transacta sunt, eis respondent versus 7—14 decreti Teniorum, in quibus quae insunt ad solos Tenios spectare debent, cum insulani nihil nisi verba inania faciant (vs. 38/39. vid. supra). Sed versus 7—9 ne ad Tenios quidem attinere supra demonstravimus, tamen potius in decreto Teniorum quam in insulanorum locum habent. Tum vs. 10—14 de Apollonio bene merito de Teniis narrant. Quos versus non omnes satis explere potui, fortasse autem vs. 11/12 ita percipiendi sunt: ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν [αὐτοῦ ἐλθόν]τος σωτηρ[ίαν ὑπέσχετο καὶ λει]|τουργήσειν τὴν ἑξάμηνον τ[ὴν ἐπιοῦσαν τὸ ἰατρικὸν ἔργον] | καὶ τοῦτο ποιήσαντος αὐτοῦ φιλοτίμως καὶ ἐκτε[νῶς καὶ πολλοὺς] | σώισαντος ἐγ(sic) μεγάλων ἀρρωστιῶν κτλ.

De Apollonio igitur haec fere ex lapide Tenio plus minusve certe cognoscimus: Apollonius Milesius medicus cum apud Tenios aliquamdiu artem medicam factitavisset (vs. 4), Tenum reliquit (vs. 7) honoribus ab Teniis decretis (vs. 6 et 21 sq. — decretum hoc Fr. Hiller de Gaertringen ex titulo Tenio Demulini nr. 23 (BCH. 1902, 429) restiturus esse videtur: Demoulin p. 236[4]). Tum in urbibus compluribus insularum maris Aegaei (cf. vs. 35/36) medicus publicus factus (vs. 7 sqq.) et ibi sicut Teni laudatus honoratusque est (vs. 37). Sed pestilentia Teni exorta sua sponte eo revertit et per sex menses gratis aegrotos curabat (vs. 10—14). Tum autem Tenii officium publicum ei tradebant (vs. 15), et medicus publicus cum de Teniis bene meritus est (vs. 15 et 17 sq.), tum de insulanis pestilentia vexatis (vs. 19 et 39 sqq.). Qua pestilentia exstincta ab Teniis novis honoribus affectus (vs. 22 sq. et 36) itemque ab insulanis honoratus est. Quorum honorum lapis hic exstat.

μι[δώρου] Μακεδὼν ʽΥρκάνιος ἰατρὸς κτλ. (nr. 9 vs. 7 sq. cf. vs. 5), quem tamen publicum fuisse verba versuum 8 et 9: μεταπεμφθεὶς ὑπὸ τᾶς πόλιο[ς καὶ] ἐπ[ιδαμήσ]α[ς] καὶ ἐργολαβήσας μόνος τὸ ἰατρικὸν ἔργον ostendunt. Damiades Lacedaemonius autem, qui certe publicus fuit (nr. 12 vs. 28 sqq.), tamen ἰατρός solum vocatur (vs. 9) et alio loco Ἀσκλαπιοῦ ὑπουργός (vs. 7). Postremum de veterinario publico Lamiensium nihil nisi ὑ[πά]ρχων ἱππιατρός dicitur (nr. 10 vs. 5).

Sed dixerit quispiam hos omnes, cum ἰατροί nominarentur, nondum publicos fuisse, quia in titulis postea demum referretur eos factos esse publicos: καὶ νῦν λαμβάνων τὸ δημόσιον vel καὶ ἐργολαβήσας τὸ ἰατρικὸν ἔργον vel παρακληθείς τε ἐπὶ τὸ ἔργον. At tamen, si ὁ δημόσιος vel ὁ δημοσιεύων ἰατρὸς titulus firmus fuisset, iam antea initio decreti ita dicendum fuisset, cum ibi nomen quoque totum cum patris patriaeque nomine exacte proferatur. Sequitur, ut quidem medici publici voce ὁ δημοσιεύων vel δημόσιος ab aliis medicis distinguerentur; at tamen his vocibus titulo firmo non utebantur. Quod ne Athenis quidem neque Co factum est, licet in his urbibus saepius et ratione certiore vocabula illa usitata fuerint. Sed poterat una voce ἰατροῦ et praecipue articulo apposito medicus publicus significari.

Quoniam medicus publicus ὁ δημοσιεύων vocabatur, verbum δημοσιεύειν munus eius significat. Sub hac enim voce lexica vetera quod de medicis publicis sciunt reservarunt. Hesychius quidem tradit s. v. δημοσιεύειν: δημοσίᾳ ὑπηρετεῖν ἐπὶ μισθῷ, exemplum medicorum non laudans, eademque tantum inter cetera E. M. s. v. δημόσιος profert. Suidas autem »δωρεὰν ἐργάζομαι« verbum δημοσιεύειν interpretatur et tum Aristophanis locum (Ach. 1030) et quae scholia tradunt (οἱ δημοσίᾳ χειροτονούμενοι ἰατροὶ καὶ δημόσιοι προῖκα ἐθεράπευον) affert. Sed Athenis vox valde usitata fuit, cum Plato ea saepe utatur (Gorg. 514 d., al.) eamque tituli exhibeant: καὶ νῦν ἐπιδέδω[κε]ν ἑαυτὸν δημοσιεύειν δωρε[ά]ν (nr. 2 vs. 17 sq.), τοῖς ἰατροῖς ὅσοι δημοσιεύουσιν (nr. 3 vs. 11 sq.); et in aliarum quoque urbium titulis verbum id exstat (Brycuntis: 4 vs. 1; Teni: 11 vs. 7).

Sicut autem δημοσιεύειν non solum de medicis usurpatur, sed etiam de omnibus demiurgis aliis, ita verbum ἰατρεύειν, quod ad medicos omnes attinet, de publicis dicitur addita voce δημοσίᾳ. Nam in titulo Tlo reperto ἰατρεύσαντι δημοσίᾳ legitur (nr. 14 vs. 5),

et idem verbum in inscriptione Tenia restituendum esse puto: [ἰάτρευσε δη]μοσίαι (nr. 11 vs. 17. — cf. adn. 38).

§ 2.

DE RATIONE ELIGENDI MEDICOS PUBLICOS.

Medicos claros ab urbibus invitari, ut munus publicum susciperent, et consentaneum est et diserte enuntiant tituli. In decreto Gytheatarum, quamquam titulus gravissimus valde mutilus est et lacunae nondum satis sunt expletae, tamen ex verbis quae in lapide extant elucere videtur Gytheatas cum munus publicum vacaret et audivissent Damiadam medicum optimum esse, in contione populi archontibus ferentibus decrevisse illum advocare eumque per litteras invitatum munus accepisse (nr. 12 vs. 9—15). Bonae famae causa Menophantus etiam ab Amphissiensibus accitus esse videtur: ἐπειδὴ Μηνόφαντος Ἀρτεμι[δώρου] Μακεδὼν Ὑρκάνιος ἰατρὸς μεταπεμφθεὶς ὑπὸ τᾶς πόλιο[ς] καὶ ἐπ[ιδαμήσ]α[ς] καὶ ἐργολαβήσας μόνος τὸ ἰατρικὸν ἔργον κτλ. (nr. 9 vs. 7 sqq.). Ac saepe ita factum sit: civitas medicum clarum quendam invitabat, ut munus certum subiret aut in urbe consideret, sive per litteras eum advocabat sive ut ex decretis Cnossiorum et Apteriorum apparet (nr. 18 et 27) per legatos impetrabat ut ab alia urbe (et maxime ab urbe medicorum Co) medicus dimitteretur.

Tamen urbes non semper in angusto versabantur, sed medici ipsi munus publicum petebant. Quod eo faciebant, quod valetudinem civium urbis eius, quae ut munus sibi traderet efficere volebant, gratis curarent, si illi in suum oppidum venerant, aut eo, quod in urbe quadam sua sponte considebant et benevolentiam populi gratuito sanando et aliis rebus aucupabantur. Demonstratur res decreto Lamiensium (nr. 10 vs. 5 sqq.): ἐπεὶ Μητρόδωρος κτλ. ὑ[πά]ρχων ἱππιατρὸς καὶ ἀνεστραμμένος ἐν τᾶι ἡμετέραι πόλει χρόνον πλείω κτλ. διά τε οὗ μετεχειρίζετο ἐπι-[τ]αδεύματος ὠφέλει τῶν πολιτᾶν τοὺς ἐτυγχάνοντας αὐτῶι ἄνευ μισθοῦ, σπουδᾶς καὶ φιλοτιμίας οὐδὲν ἐνλείπων, παρακληθείς τε ἐπὶ τὸ ἔργον ἐπεδέξατο ἐπὶ τῶι συμφέροντι τᾶι πόλει κτλ. Apollonius etiam Milesius, priusquam publicus factus sit, cum pestilentiam Teni exortam esse audiret, ultro eo profectus est et

per sex menses mercedem non accepit, si modo recta sunt quae supra coniecimus (adn. 38). Brycuntii autem Menocrito laudi verterunt, quod πρὸ τοῦ τε μισθωθήμειν διατρίβων ἐν ['Ρ]ό[δωι] πολλοὺς τῶν δαμετᾶν (sc. Brycuntiorum) ἐν ἐπικινδύνο[ις δ]ιαθέσεσι γενομένους ἔσωσε [μι]σθὸν ο[ὐ δεξάμε]νος (nr. 4 vs. 12 sqq.).

At tamen hos omnes sive advocabantur sive ipsi munus publicum petebant non antea publicos factos esse consentaneum est quam a re publica electi essent. Medicos ita institutos esse ex Xenophonte iam apparet: περὶ δὲ ὑγιείας ἀκούων καὶ ὁρῶν ὅτι καὶ πόλεις αἱ χρῄζουσαι ὑγιαίνειν ἰατροὺς αἱροῦνται κτλ. (Inst. Cyr. I 6, 15). Similia Plato affert (Gorg. 455b): ὅταν περὶ ἰατρῶν αἱρέσεως ᾖ τῇ πόλει ξύλλογος ἢ περὶ ναυπηγῶν ἢ περὶ ἄλλου τινὸς δημιουργικοῦ ἔθνους κτλ. Sed qua in contione medici Athenis electi sint, Plato non addit neque ex verbis mox insequentibus (466b) elucet, cum contio incerta relinquatur et res ipsa ficta esse videatur.[39]) Tamen aliis in urbibus medici publici in comitiis populi instituebantur: Gythei (nr. 12 vs. 10, 16; cf. p. 48), Co. Qua in urbe contionem populi medico cuidam munus publicum tradidisse R. Herzog ex inscriptione nondum edita enuntiavit (nr. 5). Cum autem Athenis architecti, quibus multa cum medicis communia sunt, quoniam et architecti et medici sunt demiurgi, in comitiis populi eligerentur,[40]) de medicis idem statuendum est. Ita res ex Teletis verbis (ap. Stob. 40, 8 p. 232) etiam apparet: οὐ σόν γε, ἀλλὰ τῶν τούτους χειροτονούντων καὶ ψηφοφορούντων· ὥσπερ εἰ τὸν ἄριστον ἰατρὸν ἀφέντες φαρμακοπώλην εἵλοντο καὶ τούτῳ τὸ δημόσιον ἐνεχείρισαν, πότερ' ἂν τοῦ ἰατροῦ εἶπας ἂν ὄνειδος καὶ ἀκλήρημα τοῦτο ἢ τῶν ἑλομένων;[41]) — Quae verba ad Athenas quoque pertinere verisimile est, cum

[39]) Plato Gorg. 456b: Φημὶ δὲ καὶ εἰς πόλιν ὅπῃ βούλει ἐλθόντα ῥητορικὸν ἄνδρα καὶ ἰατρόν, εἰ δέοι λόγῳ διαγωνίζεσθαι ἐν ἐκκλησίᾳ· ἢ ἐν ἄλλῳ τινὶ συλλόγῳ ὁπότερον δεῖ αἱρεθῆναι ἰατρόν, οὐδαμοῦ ἂν φανῆναι τὸν ἰατρόν, ἀλλ' αἱρεθῆναι ἂν τὸν εἰπεῖν δυνατόν, εἰ βούλοιτο.

[40]) IG. II, 167 vs. 6/7 (cf. vs. 2): [νεῖμαι — τὸν ἀρχιτέκτ]ονα τὸν κεχειρο[τ]ονημένο[ν] ὑπ[ὸ το]ῦ δ[ήμου τῶν τειχῶν τοῦ ἄστεως καὶ τοῦ Πειραιέως καὶ τῶν μα]κρῶν τε[ιχ]ῶν κτλ.

[41]) Grammatici etiam similia exhibent: οἱ δημοσίᾳ χειροτονούμενοι ἰατροὶ καὶ δημόσιοι προῖκα ἐθεράπευον: schol. ad Arist. Ach. 1030, unde habet Suidas (s. v. δημοσιεύω) vel potius Hesychius Milesius. (cf. schol. ad Arist. Eq. 650 = Suidas s. v. δημιουργοί).

Teles (circa annum a. Chr. 250) maximam partem Athenis scripserit et res Atheniensium saepe spectet (cf. de Wilamowitz, *Antigonos* p. 300 et adn. 11).

Quibus Teletis verbis simul demonstratur ad optimum quemque medicum officium publicum deferri. Atque id spectabatur, quid polleret medicus in arte sua et a quo disciplinam didicisset. Ita enim Socrates apud Xenophontem (Mem. IV 2, 5) ironice fingit: ἁρμόσειε δ' ἂν οὕτω προοιμιάζεσθαι καὶ τοῖς βουλομένοις παρὰ τῆς πόλεως ἰατρικὸν ἔργον λαβεῖν· ἐπιτήδειον γὰρ αὐτοῖς εἴη τοῦ λόγου ἄρχεσθαι ἐντεῦθεν· παρ' οὐδενὸς μὲν πώποτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὴν ἰατρικὴν τέχνην ἔμαθον οὐδ' ἐζήτησα διδάσκαλον ἐμαυτῷ γενέσθαι τῶν ἰατρῶν οὐδένα· διατετέλεκα γὰρ φυλαττόμενος οὐ μόνον τὸ μαθεῖν τε παρὰ τῶν ἰατρῶν, ἀλλὰ καὶ τὸ δόξαι μεμαθηκέναι τὴν τέχνην ταύτην· ὅμως δέ μοι τὸ ἰατρικὸν ἔργον δότε· πειράσομαι γὰρ ἐν ὑμῖν ἀποκινδυνεύων μανθάνειν. Utrumque Plato (Gorg. 514a) etiam demonstrat: πότερον ἔδει ἂν ἡμας σκέψασθαι ἡμᾶς αὐτοὺς καὶ ἐξετάσαι πρῶτον μὲν εἰ ἐπιστάμεθα τὴν τέχνην ἢ οὐκ ἐπιστάμεθα.... καὶ παρὰ τοῦ ἐμάθομεν; quae verba, quae hoc loco ad architectum pertinent, ad medicum referuntur 514d addito tertio medicum aegrotos, si quos bene sanaverit, citasse.[42]) Ars igitur et fama medici intuebantur, et peregrino non minus quam civi, si ars optima erat, munus medicum deferebatur. Quod enim solum decretum Atheniensium in honorem medici certe publici conservatum est, Rhodii cuiusdam est (nr. 2). Euenor autem Acarnan, quem publicum fuisse ex decreti IG. II 186 (nr. 15) versu 24sq. certe colligi non potest: καὶ ἅπαντα ὅσα προσέταξεν αὐτῶι ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων καὶ ἰδίαι καὶ κοινεῖ ἐπιμέλεται, diu Athenis versabatur, dum civitate donatus est (IG. II 187 vs. 14.— nr. 16), sicut etiam Metrodoros veterinarius a Lamiensibus inter alia civitatem adeptus est (nr. 10 vs. 12), postquam multum tempus in urbe eorum artem exercuit. Medicus quidam Casius ab Oluntiis civitatem est nanctus, quia non deseruit eos in summo periculo (nr. 21 vs. 6sqq., 41). Iam in promptu est, quod aliis

[42]) Plato Gorg. 514d: ΣΩ. οὐκοῦν οὕτω πάντα, τά τε ἄλλα κἂν εἰ ἐπιχειρήσαντες δημοσιεύειν παρεκαλοῦμεν ἀλλήλους ὡς ἱκανοὶ ἰατροὶ ὄντες, ἐπεσκεψάμεθα δήπου ἂν ἐγώ τε σὲ καὶ σὺ ἐμέ, Φέρε πρὸς θεῶν, αὐτὸς δὲ ὁ Σωκράτης, πῶς ἔχει τὸ σῶμα πρὸς ὑγίειαν; ἢ ἤδη τις ἄλλος διὰ Σωκράτην ἀπηλλάγη νόσου, ἢ δοῦλος ἢ ἐλεύθερος;

rebus quoque demonstrari posset, nullo modo medicus publicus civis sit necesse fuisse.

Aevo Romano, quamquam tum etiam urbes ipsae medicum publicum instituebant, is tamen a praefecto vel alio magistratu Romano sanciendus erat. Quod ex papyro Aegyptia quidem annorum p. Chr. 140—143 intelligitur (*Fayûm towns and their papyri* by Grenfell, Hunt, Hogarth nr. CVI). In qua medicus quidam παρὰ τὰ ἀπηγορευμένα ἀχθ[είς] (vs. 8 — cf. legem Hadriani p. 40) ut onere liberetur petit, eodemque tempore in universum impetrare studet, ut praefectus edicat ὅπως τέλεον ἀπολύωνται τῶν [λειτουρ]γιῶν οἱ τὴν ἰατρικὴν ἐπιστή[μην] μεταχειριζόμενοι, μάλ[ι]στα [δὲ οἱ δε]δοκιμασμένοι ὥσπερ κἀγ[ώ] (vs. 20sqq.). Cum satis mihi constare videatur numquam per totam antiquitatem medicos, ut nunc est, a re publica approbandos fuisse, sed omnibus qui volebant medicinam exercere licuisse et cum οἱ δεδοκιμασμένοι verbis μάλιστα δὲ medicis aliis opponantur, sequitur, ut οἱ δεδοκιμασμένοι in papyro illa medici publici sint, qui a civitate quidem declarabantur, ab praefecto autem confirmandi erant. Itaque in versu 7 papyri illius eo loco mutilae post παρὰ Μάρ(κου) Οὐαλερ[ί]ου Γεμέλλου verba δημοσίου ἰατροῦ tota vel non perscripta supplenda sunt.

Saeculo autem II. et III. medicos publicos in Asia Minore a civitatibus institutos esse apparet ex Ulpiani *libro tertio opinionum* (Dig. L, 9, 1): *Medicorum intra numerum praefinitum* (sc. ab Antonino Pio) *constituendorum arbitrium non praesidi provinciae commissum est, sed ordini et possessoribus cuiusque civitatis, ut certi de probitate morum et peritia artis eligant ipsi, quibus se liberosque suos in aegritudine corporum committant.* Tamen medici probandi erant probatisque detrahi poterat officium, si eo indignos sese praebuerant: Modestinus *libro undecimo pandectarum* (Dig. L, 4, l. 11,3): *Reprobari posse medicum a re publica, quamvis semel probatus sit, divus Magnus Antoninus cum patre rescripsit;* Ulpianus *libro quarto de officio proconsulis* (Dig. XXVII, 1, l. 6,6): *sed et reprobari medicum posse a re publica, quamvis semel probatus sit, imperator noster cum patre* (Septimius Severus et Caracalla) *Laelio Basso rescripsit.* Ex his locis sumas Hadriani iam temporibus medicos publicos a proconsule vel praefecto approbandos fuisse; initio autem imperii Antonini papyrus, quam modo laudavimus, certus testis

exstat. Sed inde a temporibus Diocletiani, ut id addamus, medici non iam a civitatibus, quae libertates omnes amiserant, instituebantur, sed Romae quidem, de qua urbe sola nota sunt certiora, archiatri ipsi se reficiebant, assumpti autem ab imperatore probandi erant (Cod. Iust. X 53, 10 et Theod. XIII 3, 8).

Sed ad priora saecula revertamur. Athenis cum magistratus in annos singulos constituerentur, labores quoque publicos constantes in singulos annos delatos esse verisimile est, quamquam hoc modo non omnes deferebantur velut metalla rei publicae Atheniensis in tres annos conducebantur ('Αθ. πολ. 47,2). Sed de medicis publicis Atheniensium nullum certum testimonium superest.[43]) Damiadas autem Lacedaemonius per annos duos Gythei permansit: καὶ ἐργολαβήσας κα[ιρίως ἐπε]κλήθη ὑπὸ τοῦ δάμου καὶ διετῆ χρόνον ἀ[ναστρεφό]μενος παρ' ἁμέ κτλ. (nr. 12 vs. 15 sqq.), atque tum illam urbem eum reliquisse et ex hoc loco apparet et ex toto inscriptionis tenore et ex versu 21 sq.: [ἀ]ναστροφᾷ δὲ καὶ παρεπιδαμίᾳ ᾇ πεποί[ηται ἀκα]κόφ(ρ)ονα [ἀὲ]ς αὑτὸν διατετήρηκε κτλ. Sed non constat Damiadam in unum annum munus suscepisse et tum recreatum esse aut a primo in utrumque annum se obligasse. Unum autem et tum alterum quoque annum munus obiisse Artemidorus medicus videtur in titulo Andrio (nr. 28). Quae enim exscriptae sunt litterae in versu altero: ...... ΑΙL .. ΤΩΙΕΤΕΙΟΝΔΕΕΝΙΑΥΤΩΙ, B. Keil [ἐν] τῶι ἔτειον δὲ ἐνιαυτῶι legere proposuit, [ἐν] τῶι ἐ[φ]έ[τ]ο[ς] δὲ ἐνιαυτῶι A. Wilhelm (cf. etiam »Ἔτος und ἐνιαυτός« Wiener Sitz.-Ber. 1900, IV), quem Fridericus Hiller de Gaertringen dubitans quidem in Corpore secutus est. Sed fortasse simplex vocabulum ἐπιόντι in litteris ΕΤΕΙΟΝΔΕ inest. Cum autem deinceps in illo titulo legatur: [βου]λόμενος ἀκόλουθος γ[ενέ]σθαι τῇ [ἀπ]ὸ τῆς ἀρχῆς κτλ. καλοκἀγαθ[ί]ᾳι, consequens est, quoquomodo litterae ΕΤΕΙΟΝΔΕ restituuntur, ut Artemidorus iam antea tempus quoddam (et fortasse unum annum) medicus Andri fuerit et tum assenserit, ut per annum insequentem apud Andrios medicus esse pergeret. Itaque publicum fuisse Artemidorum consectarium est, id quod, etsi in ipso titulo Artemidorus publicus non

---

[43]) Coniecerit quispiam ex verbis Aristotelis Polit. p. 1281 b vs. 38 sqq., cum ibi legatur medicis rationem reddendam fuisse, quotannis ita factum esse et locum ad medicos publicos spectare. At totum exemplum fictum est, et medicus pro certae rei perito aliquo adhibetur.

appellatur, tamen versibus 2—10 fulcitur et eo, quod vs. 15/16 legitur ἐπαινέσαι Ἀρτεμίδωρον Μηνοδότου τὸν ἰατρόν.

Sed multum etiam tempus uno loco commoratos esse medicos publicos ex titulo comperis Anaxippi, medici publici pagi Coi Αἰγηλίων, quem »jahrelang« civibus operas praebuisse R. Herzog denuntiat (nr. 5). Idem Menocriti titulus inventus Carpathi demonstrat, in quo ita legis initio: ἐπειδὴ [Μ]η[νόκρ]ιτος Μητροδώρου Σάμιος δεδαμοσιευ[κὼ]ς ἔτη ὑπὲρ τὰ εἴκοσι κτλ. (nr. 4).

Etenim haec maxime fuit causa, cur novus medicus esset admovendus, medicum publicum saepe non multo postquam consedit urbem iterum reliquisse, ut novas regiones peteret. Nam multa honorum decreta, nisi forte est pestilentia, in qua medicus de civibus sanatis bene meritus est, hunc decessurum esse habebant ansam, ut decernerentur: Damiadae (v. p. 52), Artemidori (ibid.), Metrodori veterinarii (nr. 10 vs. 11: ἐπαινέσαι κτα. ἐπὶ τᾶι ἀναστροφᾶι - -), Menophanti (nr. 9 vs. 14sq.: διαφυλάξας τάν τε κατὰ τὸν βίον ἀναστροφὰν [τὸν πάντα] κατὰ ταύτας (τᾶς) ἐπιδαμίας χρόνον, vs. 18: [ἀπε]ρ[χ]όμενος ἐκ τᾶς πόλιος ἁμῶν). Qua de causa fortasse etiam in decreto invento Elateae (nr. 24) civitas et alii honores medico dati sunt; in quo versus primi hand scio an sic restituendi sint: ἐπειδὴ Ἀσκ[λαπιόδωρος vel όδοτος vel simile . . . . παραγενόμενος | ἐν τὰν πόλι]ν ἁμῶν καὶ τὰν ἀναστροφὰν ποιησάμεν[ος καλῶς ἐν τῷ χρόνῳ, ᾧ ἔλαβε τὸ ἔργον, καὶ ἐπιμε|λούμενος πολλὰς] ἁμέρας πλείονας περὶ τῶν κατὰ τὸ ἐπιτάδευμ[α ἔργων κτλ. (in quibus [παραγενόμενος ἐν τὰν πόλι]ν suppl. Ditt.). Quae si veri similia sunt, hic quoque medicus fuit publicus, id quod etiam ex versibus 4 et 5 elucere videtur: [οὐ λαμβάν]ω(ν) παρὰ τὰς πόλιος τὰ τῷ ἐπιταδεύματι καθήκοντα (i. e. mercedem) [. . . . . . καὶ πᾶσαν κακοπαθίαν παρέσχη|ται ποιήσας τὰν] ἐνδεχομέναν φροντίδα τᾶς τῶν ἐν ἀρρωστίᾳ ἐό[ντων σωτηρίας κτλ. (. . . . . πε|ποίηται τὰν] ἐνδεχ. φροντ. et ἐό[ντων σωτηρίας suppl. Ditt.).

Sed accidit, ut medicus non sua sponte aliquam urbem relinqueret, sed a patria cogeretur. Itaque Coi, ut urbibus petentibus medicos mittebant, hos quoque ex illis, si res postulabat, revocaverint. Quod Casii fecerunt, qui medicum civem suum Olunte revocabant, hac in causa quidem frustra: μεταπέμπτου δὲ αὐτοῦ γενομένου ἐς οἶκον (Casum, ut apparet ex vss. 62 sqq.)

καὶ ὄντος περὶ τὸ ἀποτράχεν, ἐμπεπτωκότος ἁμῖν καιροῦ σκληροῦ κτα. ἐπείσαμες αὐτὸν ἀξιώσαντες παραμεῖναι καὶ μὴ καταλιπὲν ἁμὲ ἐν τῷ ἀναγκαιοτάτω[ι] καιρῶι κτλ. (nr. 21 vs. 3 sqq.).

Romanis autem temporibus non ita medici urbem mutabant, sed saepe, ut ita dicam, διὰ βίου instituebantur. Quod quidem non nisi medico gymnasii confirmare possum, qui in titulo Attico inter magistratus διὰ βίου exstat (IG. III 1202 Col. I vs. 38). Sed habemus Ephesi archiatrum, qui διὰ γένους etiam institutus erat (nr. 65). Quarto tum saeculo Romae saltem medici, cum publici facti sint, vitam in hac conditione degere soliti esse videntur, quia, cum de archiatris supplendis agitur, id quoque sumitur morte alicuius locum archiatri vacuum esse factum (Cod. Theod. XIII, III, 8 et 9). Id igitur in universo interest inter Graeca et Romana tempora his medicos publicos saepe in totam vitam vel etiam διὰ γένους institutos esse, illis autem munus in annum vel biennium iniunctum, saepe etiam continuatum esse, sed raro medicos uno loco tantum tempus versatos esse quantum Menocritum Brycunte.

§ 3.

DE NUMERO MEDICORUM PUBLICORUM.

Certos numeros medicorum, qui in aliqua urbe munere medico eodem tempore fungebantur, afferre non possumus, nisi tempora Romana intuemur. Quot enim archiatri quarto saeculo Romae fuerint, certe constat: Cod. Theod. XIII, III, 8: *Exceptis Portus Xysti*[44]) *virginumque Vestalium* (quibus igitur proprius archiater erat) *quot regiones urbis sunt totidem constituantur archiatri.* Itaque cum quattuordecim regiones fuerint, quattuordecim archiatri illo tempore Romae fuerunt. Quem numerum saeculo tertio nondum tantum fuisse Lampridius narrat (A. S. c. 42), cum Severus Alexander *usque ad sex* medicis *annonas binas aut ternas* concederet. In urbibus autem Asiae Minoris saeculo p. Chr. altero licuisse quinque vel septem vel decem medicos publicos prout urbes magnae erant instituere iam supra testes citantes explanavimus (p. 43).

Saeculis Christum natum antecedentibus Athenis plures

---

[44]) i. e. athletorum in porticu Xysto. cf. Marquardt, *Privatleben* p. 756 cum adn. 2.

fuisse medicos publicos consentaneum est. Quod testimonia certa affirmant, et tituli: ἐπειδὴ πάτριόν ἐστι τοῖς ἰατροῖς, ὅσοι δημοσιεύουσιν, θύειν τῶι Ἀσκληπιῶι (nr. 3 vs. 9 sq.) et scriptores (Plato, Polit. 259a). At certus numerus non indicatur. Sed in anaglypho marmoreo primae partis saeculi quarti reperto in clivo meridionali arcis Athenarum anno 1876, quod Proserpinam Cererem Aesculapium repraesentat quibus in altera parte sex viri adorantes oppositi sunt, mihi quidem viri hi sex medici publici esse videntur.[45]) Nam inter nomina adscripta duo medicorum Atheniensium sunt, Mnesithei scilicet et Dieuchis (cuius quidem filii Epeuches et Diacritus nominantur). Qui medici ab Galeno (K. XI 795; XV 136) in numero παλαιῶν et ἀρχαίων habentur et saepe ab scriptoribus aliis commemorantur (de Mnesitheo vid. Knaack, Hermes 1883, 148, Girard BCH. II 89 et eundem de Dieuche). Cum autem Epeuches et Diacritus Dieuchis medici filii sint, utrumque medicum fuisse verisimile est, ita ut tria medicorum nomina legantur et inde colligi possit homines sex adorantes omnes fuisse medicos. Quoniam medici sex una a populo honorati sunt (quod coronae demonstrant, intra quas nomina quinque incisa sunt), ii quasi collegium medicorum fuerunt. Collegium autem sex medicorum apte medici publici sunt. Sed quaerendum est, qua de causa medici publici coronis θαλλοῦ honorati sint et cur ea de causa anaglyphum illud non Aesculapio soli, sed omnibus deis in Aesculapio aram habentibus (Cereri, Proserpinae)[46]) dono dederint. De Epidauriis, quae pars Eleusiniorum esset et quibus Cereri et Proserpinae propter templa finitima et sacra in idem tempus incidentia (cf. Rubensohn AM. XX 365) in Aesculapio etiam immolaretur,

---

45) Anaglyphum edidit U. Koehler, AM. II, 243 et tab. XVIII; idem rectius interpretatus IG. II, 1449; cum multis aliis anaglyphis ibidem repertis descripsit v. Duhn, Arch. Zeit. 1877, 153, nr. 41; descripsit P. Girard, BCH. I, p. 163, nr. 32 et idem primus donum ab medicis dedicatum esse agnovit BCH. II, 88, sed ipse iterum an non recte coniectatum sit dubitavit *L'Asclépieion d'Athènes*, p. 48, cum antea id probavisset Udalrico Koehler (IG. II, 1449), Ernesto Curtius (*Stadtgesch.* 211), aliis. Sed coniecturam eius tum etiam continuit A. Körte, AM. XVIII, 237[1].

46) Deest autem Hygiea, quippe cui in eadem ara atque Aesculapio et una cum »patre« immolaretur. In anaglypho alio autem Atheniensi Aesculapius et Hygiea una cum Cerere adorantur: H. L. Urlichs, Bonner Jahrb. LXXXVII p. 1 sqq., tab. I.

medicos dedicantes meritos esse Udalricus Koehler olim suspicatus est (l. l.), et fortasse res ita expedienda est medicos publicos, cum maxima hominum turba tempore Eleusiniorum Magnorum et Epidauriorum Athenas confluxisset, in aegris et vulneratis curandis omne genus diligentiae adhibuisse et propterea laudatos esse, sicut agoranomus quidam Parianus, qui inter cetera ad panegyrin Minervae Iliadis [παρέσχεν ἰατ]ρὸν τὸν θεραπεύσοντ[α τοὺς ἀσθε]νοῦντας ἐν τῇ παν[ηγύρει] (nr. 22 vs. 16 sqq.).

Quae utut se habent, si medici illi sex publici sunt, tamen anaglypho hoc certo argumento uti non possumus, cum nesciamus an non omnes medici publici honorati sint. Sed tantum fere numerum medicorum publicorum Athenis saeculo quarto fuisse et urbem et tempus decet atque per se sumendum est, si numeros medicorum aevo Romano institutorum spectamus.

Ut Athenis ita Co complures medicos publicos eodem tempore conductos fuisse titulo Xenotimi (nr. 7) perspicies. Qui medicus privatus ab Cois laudatus et honoratus est, quod morbis gravissimis affectis civibus ipse medicum se praebuit τῶν ἰατρῶν τῶν [δαμ]οσ[ιευόν]των ἐν τᾶι πόλει ἀρρωστησάντων [διὰ] τὰς [κ]α[κο]παθίας τὰς γενομένας περὶ αὐτοὺς δ[ιὰ] τὴν ἐπιμέλειαν ἂν [ἐ]ποιεῦ[ντο] τῶν καμνό[ντων] (nr. 7 vs. 7 sqq.). Itaque nihil impedit ne sumamus in aliis quoque urbibus maioribus medicos fuisse publicos complures.

Minora autem oppida unum medicum publice conducebant. Brycunte, Amphissae, Teni, Gythei medicum unum tantum fuisse ex toto titulorum tenore pellucet (nr. 4, 9, 11, 12). Ac maxime fiebat, si unus omnino in urbe erat medicus, ut hic unus publicus esset, cum medici alii in urbe minima non considerent, ne minus quam par esset pecuniae caperent timentes, sicut hodie etiam medici in oppidum minimum saepe non proficiscuntur, nisi pecunia a communi adiuvantur. Olunte autem unum et eum publicum fuisse medicum ex contextu verborum et ex eo apparere videtur, quod Oluntii in summo erant timore, cum in eo esset, ut medicus ille morbis saevientibus Oluntem relinqueret (nr. 21). Idem de Gortyniorum medico sumendum est, quem per legatos Gortynii ipsi Co arcessiverant: ἐπειδὴ πρεσβευσάντων Γορτυνίων πρὸς ὑμὲ ὑπὲρ ἰατροῦ καὶ ὑμῶν φιλοτίμως σπευσάντων καὶ ἀποστειλάντων αὐτοῖς Ἑρμίαν ἰατρόν κτλ. (nr. 18 vs. 2 sqq.).

Itaque in oppidis quamvis parvis, nisi forte male administrata aut nimis paupera erant, medici publici instituebantur.

Sin autem in regione maiore una tantum urbs erat, multi autem vici, in his quoque medici publici erant. Mirum quidem est de pagis Atticis nullum testimonium exstare. Sed de pagis Coi insulae magnae, quae synoecismo in novam urbem Coum anno 366 peracto unam iam urbem habebat, res accuratius demonstrari potest. Nam repperit in Coorum Aesculapio R. Herzog titulos medicorum pagi alicuius saeculo III. a. Chr. exaratos: medici ignoti ab ignoto pago conducti (nr. 6), Anaxippi medici publici, qui in pago Αἰγηλίων per multos annos aegrotos curavit (nr. 5). Iam vero in titulo Coo aevi Romani, qui Isidorum medicum publicum corona aurea honorabant, sunt τοὶ κατοικεῦντες ἐν τῶι δάμωι τῶν Ἁλεντίων καὶ το[ὶ] ἐνεκτημένοι καὶ τοὶ γεωργεῦντε[ς] ἐν Ἅλεντι καὶ Πέλῃ τῶν τε πολειτᾶν καὶ Ῥωμαίων καὶ μετοίκων (nr. 13 vs. 4 sqq.).

In Aegypto autem, ubi plurimi erant vici et omnia plena medicis iam Herodoti temporibus fuerant (Her. II 84), res erat similis. Exemplum unum afferi etiam potest, aevi quidem Romani demum: in papyro Berolinensi (BGU 647, cf. p. 24) legitur: Γάιος Μενήκιος Οὐαλεριανὸς ἔχων ἰατρεῖον ἐπὶ κώμην Καρανίδι vel melius (vs. 21) ἔχων τὸ ἰατρεῖον ἐν κώμῃ Καρανίδι, sita in Ἀρσινοίτου Ἡρακλείδου μερίδι (vs. 2).

§ 4.

DE MUNERE ATQUE OFFICIO MEDICORUM PUBLICORUM.

Nunc alia atque graviora disceptanda sunt. Οἱ δημοσίᾳ χειροτονούμενοι ἰατροὶ καὶ δημόσιοι προῖκα ἐθεράπευον: haec verba scholiasta ad Acharnensium Aristophanis versum 1030 adnotavit. Gratis igitur medici publici aegrotos curare debebant, et ii, ut videtur, omnes cives, quicumque volebant, et peregrinos et qui in itinere urbem visitantes auxilium ab illis petebant. Ita apud Aegyptios veteres fuisse tradit Diodorus (I 82). Graeci quoque et pauperes et divites medicum publicum consultabant. Namque in Acharnensibus agricola ille pauper ad Pittalum mittitur, sed etiam Lamachus miles superbissimus Pittalo se committit (vs. 1222). Sed haec ficta esse possunt, tamen tituli idem demonstrant. In titulo enim Gytheato de medico certe publico mercedem a re publica accipiente sic legis: σπουδᾶς καὶ φιλο[στοργίας οὐ]θὲν ἐλλείπων εἰς τὸ πᾶσιν ἴσος εἶναι κα]ὶ πένησι

καὶ] πλουσίοις καὶ δούλοις καὶ ἐλευθέροις [καὶ ξένοις] (nr. 12 vs. 18 sqq.). His quidem verbis opus non fuit, si medicus ab divitibus, si dare volebant, mercedem propriam accipere vetitus esset, tamen etiam demonstrare videntur omnibus a re publica medicum publicum promptum lege esse praebitum. Athenis metoecos etiam medico publico usos esse titulus Euenoris, si publici est, demonstrat: καὶ [χρήσιμον ἑαυτὸν πα]ρέσχηκεν κατὰ τὴν τέχ[νην τοῖς δεομένοις] τῶμ πολιτῶν καὶ τῶν ἄλ[λων τῶν οἰκούντων ἐ]ν τῆι πόλει (nr. 16 vs. 5 sqq.). Saepe autem publici longius etiam in aliis curandis progressi sunt et aegrotos etiam extra urbem habitantes visitabant (Brycunte, nr. 4 vs. 15 sqq.) vel advenas aegrotos comiter ac humane sanabant (nr. 18, 29).

Ut tradit Herodotus (III 131), Democedes Aeginae munus publicum suscepit ἀσκευής περ ἐὼν [καὶ ἔχων οὐδὲν] τῶν ὅσα περὶ τὴν τέχνην ἐστὶ ἐργαλήια (St.). Medicus igitur publicus aetate superiore quibus ad artem exercendam opus erat sibi ipse praestitisse videtur. Itaque ipse etiam medicinam (τὸ ἰατρεῖον vel ἐργαστήριον) sibi instruxit. Fuit autem τὸ ἰατρεῖον[47]) habitatio medici, cuius unum aut complura membra arti factitandae destinata et reservata erant (cf. Littré V 25 sq.). Aetate inferiore proprium adeo aedificium instruebatur, sicut ἐργαστήρια Tyranni Magnetis medici instructa in vico Cadyia (nr. 40 vs. 21 sqq.): δεδόσθαι δὲ αὐτῷ ἀτέλειαν πάντων ⟨δὲ⟩ τῶν τελῶν ὧν κατεσκεύακε ἐργαστηρίων ἐπὶ τῆς χώρας ἧς κώμη Καδυίη (cf. Pollux IV 177: καὶ τὸ ἐργαστήριον ἰατρεῖον). Quam in medici officinam aegroti si poterant veniebant, ut medicum consulerent, hic tractabantur, cum omnia adessent instrumenta, hic ab medico remedia parata accipiebant (cf. Plato Leg. I 646c: τοὺς εἰς τὰ ἰατρεῖα αὑτοὺς βαδίζοντας ἐπὶ φαρμακοποσίαν κτλ.). Sed qui affecti erant morbis tam gravibus, ut ire non possent, in medicina remanebant, donec refecti sunt, ita ut τὸ ἰατρεῖον — fortasse inde a quarto vel tertio a. Chr. saeculo — esset etiam νοσοκομεῖον. Quod inter alia declarare videtur Plaut. Men. V 5 vs. 43 sqq.; ubi dicit medi-

---

[47]) De medicina non ut est sed ut esse debet Hippocrates ipse, ut videtur (cf. R. Fuchs ap. Neuburger-Pagel, *Handb. d. Gesch. d. Med.* I, p. 231), descriptiones reliquit, quas in scholis habuerat pro fundamento: κάτ' ἰητρεῖον vel περὶ τῶν κατ' ἰητρεῖον, Littré III, p. 272 sqq. Ad quas ut adumbratas tantum ab auctore Galenus perlongum commentarium scripsit, K. XVIII, 2, p. 629 sqq., et aliud quod non exstat Asclepiades (Erot. 116, 11; Gal. XVIII, 2, 660, 666).

cus: *ad me face uti deferatur* (sc. aegrotus. — vs. 45), *elleborum potabis faxo aliquos viginti dies* (vs. 47), *imo ego ibo domum, ut parentur quibus paratis opus est.*[48]) Sed quae in medicina facienda erant, medicus non solus exsequebatur, sed discipuli atque medici servi adiuvabant eorumque optimi negotia eius procurabant, cum domum visitatu aegrotos reliquisset. De discipulis autem testimonium legitur apud Aeschin. in Timarch. § 40: οὗτος γὰρ πρῶτος πάντων μέν, ἐπειδὴ ἀπηλλάγη ἐκ παίδων, ἐκάθητο ἐν Πειραιεῖ ἐπὶ τοῦ Εὐθυδίκου ἰατρείου, προφάσει μὲν τῆς τέχνης μαθητής.[49])

Sed si medicos publicos spectamus — de medicina in universum quaerere nunc non licet, quamvis multa nondum aperta sint — medicina Pittali in Acharnensibus commemoratur, in quam aegroti eunt, Lamachus vulneratus transportatur. Alii etiam testes adhibendi sunt, sed multis saeculis inferiores. Nam quae in inscriptione Cea valde mutilata III. a. Chr. saec. H. Schoene supplevit: τὴν [δὲ μεγίστην ὠφέ]||λειαν τῆς θεραπείας τῆς κ[ατὰ τὸ ἰατρεῖον προῖκα]|| ποιησάμενος φιλοτίμως, ὥ[στε πλείστοις αἴτιον εἶ|ν]αι μετὰ τῶν θεῶν τῆς οἴκαδ[ε ἐπανόδου] (nr. 19 vs. 20sqq.), cum res incertissimae sint, nec probare nec reprobare nunc audemus.[50]) Sed Galenus in commentario ad scriptum Hippocratis κατ' ἰητρεῖον, cum de duplici luce et natura et arte effecta ab Hippocrate explicata verba faciat, haec addit: τὸ μὲν (sc. φῶς) οὖν κοινόν ἐστιν, ᾧ πάντες ἄνθρωποι χρώμεθα, μάλιστα μὲν ἐν ὑπαίθρῳ, δεύτερον δὲ ἐν οἴκοις μεγάλοις θύρας μεγάλας φωτὸς πλήρεις ἔχουσιν, οἷοι καὶ νῦν κατὰ πολλὰς τῶν πόλεων δίδονται ἰωμένοις τοῖς ἰατροῖς, οὓς παρωνύμως αὐτῶν ἰατρεῖα προσαγορεύουσι. Ergo saeculis p. Chr. n. ἰατρεῖα, aedificia magna, publice instruebantur et medicis profecto publicis praestabantur. Et certae medicinae

---

48) Alios autem locos protulit Vercoutre l. l., p. 232 (332) sqq., qui quam improbabiles sint demonstrat A. Dechambre l. l., p. 53.

49) Citat hunc locum Becker, Charikles (ed. Göll) III, p. 62, qui composuit ibi locos de medicorum discipulis et servis. De quibus nunc nobis agendum non est, si recte existimamus nihil aut paene nihil interesse inter medicos publicos et privatos, si discipuli erudiendi aut servi adiuvantes spectantur. Sed videas A. Vercoutre l. l., p. 309 sqq., quae quamvis nobis non probentur disserere longum est.

50) Id unum obiter adnotemus προῖκα in versu 21 potius delendum esse, cum φιλοτίμως iam legatur et προῖκα in toto illo contextu minus aptum sit et cum, si adest προῖκα, litterae 40 sint in versu 21, 30 autem et 34 litterae tantum sint in versibus 27 et 28 recte totis expletis.

monstrari possunt: ἐργαστήρια Tyranni Magnetis medici (p. 58), τὸ ἰατρεῖον, quod in Aegypto habebat C. Minicius (p. 24, 57).[51]) Magna igitur valetudinaria publica aevo demum Romano certis testimoniis adstruuntur. Quo tempore officinae sacrae Aesculapii quoque ἰατρεῖα nominari poterant, quo nomine Aristides utebatur. Sed nullo modo probari potest, quod contendit R. Herzog (l. l. p. 204 et 206) longius quam par est quae a Vercutrio[52]) ficta sunt secutus fuisse Hippocratis iam aetate in insula Co magnam medicinam publicam et aliam sacram, quas ille vir doctus τὸ δημόσιον ἰατρεῖον et τὸ ἱερὸν ἰατρεῖον vocat.

---

[51]) In insula quadam Hecatonnesorum, quae hodie *Daskalió* vocatur, longa moles marmorea (1,81 m. l., 0,37 m. alt.) inventa est, in qua editor legit IXI ΙΑΤΡΟΙ ΤΩΝ ΠΑΘΩΝ ΠΡΕΣΒΕΥΣΑΤΕ (AM. XXV, 1900, 119). Verba ἰατροὶ τῶν παθῶν πρεσβεύσατε ad trimetrum iambicum pertinere U. de Wilamowitz animadverterat. Nuper titulum cum aliis, qui omnes in epistylii fragmentis nunc in oppido *Aiwaly* conservatis leguntur, ita edidit Th. Wiegand (AM. XXIX (1904) p. 259): Χ(ρηστο)ῦ ἰατροὶ τῶν παθῶν πρεσβεύσατε [ὑπὲρ ἡμῶν] (sed ὑπὲρ ἡμῶν vix supplenda sunt, cf. supra). Sumit Th. Wiegand lapides esse monasterii, cuius patroni Cosmas et Damianus medici essent. Fortasse autem nosocomium erat, ut multa tum christiani instituerant (cf. p. 61). Certe in monasterium Cosmae et Damiani aegroti migrabant.

[52]) Qui l. l. p. 237 coniecit in unoquoque oppido inde a temporibus Charondae medicinam fuisse sustentam a re publica et quibusvis rebus instructam: *en un mot, chaque ville possédait un iatrium public, pourvu non seulement de medicaments, mais encore d'instruments, de lits, de meubles etc. et d'un personnel esclave pour les besoins du service; le médecin public, une fois élu, s'installait dans cet iatrium; son successeur en prenait possession de même, et par là tout s'explique, tout se comprend sans la moindre difficulté.* Quae nullo modo nobis probantur, cum nihil afferatur quo nitamur cumque quae alia Hippocratis temporibus fuerint, alia Galeni confundantur. Sed medicamenta a re publica medicis publicis tradita esse ex intolerabili Rangabis coniectura sumpsit non solum Vercoutre, sed multi alii (Becker l. l., p. 57; Wescher, Rev. arch. 1863, VIII, 481) et novissimi etiam (R. Fuchs apud Neuburger et Pagel, *Handb. d. Gesch. d. Med.* I, 181; S. Reinach l. l., p. 1692, cf. 1698). Ille enim in titulo Euenoris, qui nunc IG. II 187 legitur, in versu 8 sqq. coniecerat (Ant. Hell. II, 35): καὶ νῦν ἐπ[ὶ τ]ῶν φαρμάκων αἱρεθε]ὶς τὴν παρασκευὴν τάλ[α]|ντον ἀνήλωσεν — — Sed Graeca non sunt, et in extremis versibus 8 et 9 littera una excedit, id quod pacto nullo tolerari potest, cum titulus accurate στοιχηδόν incisus sit. U. Koehler sic partem maiorem lacunarum restituit: καὶ νῦν ἐπι|[δέδωκε .... ε]ὶς τὴν παρασκευὴν τάλ|[αντον ἀργυρίου — — In quibus perfectum ἐπιδέδωκε rectum videtur, cum perfecta ἀποδέδεικται, παρέσχηκεν antecedant, atque alia etiam probabilia sunt. Neque tamen mihi contigit, ut quae superest lacuna novem ipsarum litterarum explerem.

Cum saeculis p. Chr. tertio et quarto iatria vetera dilabi coepta essent, ab christianis mox recreata sunt (cf. Vercoutre l. l. p. 360), cum praesertim haec per saecula christiani in corporibus hominum sanandis cum paganis maxime concertarent (cf. Harnack, *Medizinisches aus d. ält. Kirchengesch.* p. 89 sqq.; idem, *Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrh.* p. 79 sqq.). Itaque ut initio Jesum Christum ipsum instituebant pro Aesculapio corporum etiam verum medicum (v. Harnack l. l. c. c.), tum autem Cosmam et Damianum medicos illos, qui eodem fere modo atque Aesculapius aegros in aedibus sacris incubantes sanabant (cf. Deubner, *de incubatione* p. 68 sqq., p. 75), ita etiam medicinas veterum nosocomiis propriis compensabant. His in nosocomiis medici publice instituisse videntur. Nam exstat titulus Christianus in Galatia inventus, in quo legitur: Θέσις Θεοδώρου ἰητροῦ ξάνθ[ο]υ(?) τοῦ νοσοκ[ομεί]ου κτλ. (CIG. 9256).

Medici publici autem saepe ab magistratibus aut iudicibus, si viro artis medicinae perito opus erat, de arbitrio suo interrogati sint et causae multae medicis publicis advocatis disceptate sint.[53]) Vero certa monumenta aevi demum Romani exstant: OP. I 51 (a. 173), OP. I 52 (a. 325), BGU. 647 (a. 130). Quae monumenta supra iam commemorata (p. 23 sq.) relationes sunt medicorum publicorum inspexisse se homines vulneratos vel corpora eorum, qui ipsi necem sibi consciverant (OP. I 51). In papyro Oxyrh. I 51 medicus ipse renuntiat (vs. 6 sqq.): ἐπετραπόμην ὑπὸ σοῦ (Κλαυδιανοῦ στρατηγοῦ) διὰ Ἡρακλείδου ὑπηρέτου, ἐφιδεῖν σῶμα νεκρὸν ἀπηρτημένον Ἱέρακος καὶ προσφονῆσαί σοι ἣν ἐὰν καταλάβωμαι περὶ αὐτὸ διάθεσιν, et tum quid viderit ita tantum refert (vs. 15): εὗρον αὐτὸ ἀπηρτημένον βρόχῳ· διὸ προσφωνῶ. In secunda papyro (OP. I 52) pater quidam filiam violatam esse domo dilapsa questus est et postulasse videtur, ut noxia ab domino domus compensaretur. Quam ob rem medici duo ab curatore (λογιστῇ) causam quaerente vulnera inspectum missi sunt. Qui renuntiant (vs. 14 sqq.): παραγενόμενοι ẹ̣π̣ị̣ τὴν τούτου οἰκίαν ẹ[ἴ]δαμεν τὴν παῖδα ἔχουσαν κατὰ τῶν εἰσχίων ἀμυχὰς (leviora pellis vulnera) μὲτα περι-

---

[53]) cf. Plato Leg. XI, 916: διαδικαζέσθω δὲ ἔν τισι τῶν ἰατρῶν, οὓς ἂν κοινῇ προβαλόμενοι ἕλωνται. Sed non sunt publici, cum Plato nullo loco in Legibus praescripserit, ut medici publici a re publica instituerentur.

ωμάτων[54]) κα[ὶ τ]οῦ δεξιοῦ γονατίου τραύματος. Postremum in papyro tertia (BGU. 647) C. Minicius initio et in fine iusiurandum per vitam (τύχην) Traiani iurat verum se retulisse τῇ πεμπταίᾳ ἡμέρᾳ τοῦ πεπλῆχθ(αι) τὸν Μυσθαρίωνα τραυμαραπευχέναι (τετραυματοθεραπευχέναι vel similia: Wilcken) ὑπὲρ τὸν ἀριστερὸν κρόταφον τῆς κεφαλῆς τραῦμα κατέαγμα ἐπὶ βάθους, ἐν ᾧ εὗρον μικρὰ κατεάγματα λίθων (vs. 10sqq., vs. 22sqq.). Quae papyri forte conservatae in clara luce reponunt fuisse medicorum publicorum facere arbitrium, si ab magistratibus admonebantur.

Supra medicos privatos fuisse publicos non puto. Neque ullo verbo in testimoniis, quae exstant de medicis publicis, talia commemorantur, sed omnia consentiunt medicos publicos privatos eo praecessisse, quod tamquam optimi a re publica electi et pecunia conducti res medicas mandatas a re publica, quippe a qua solverentur, exsequebantur. Sed tradit Galenus Andromacho archiatro, Neronis medico, negotium esse datum, ut imperaret medicis: τὸ γοῦν ἄρχειν ἡμῶν διὰ τὴν ἐν τούτοις (οὐ μόνον τῇ πείρᾳ τῶν ἔργων ἀλλὰ καὶ τοῖς λόγοις) ὑπεροχὴν ὑπὸ τῶν κατ' ἐκεῖνον καιρὸν βασιλέων ἦν πεπιστευμένος (K. XIV 2, 211). Haec an non ad omnes medicos Romae considentes referanda sint (ut sumit Friedlaender, SG. I[6] 338), valde dubito. Sed ita ea mihi explicari posse videntur Andromachum medicis multis aulae imperatoriae praefuisse, non servis solum, quibus praeterea proprius erat dominus, sed medicis etiam aliis domus Augustae, qui multi illo tempore fuerunt. Cum Galenus autem ἄρχειν ἡμῶν dicat, ipsum se medicum imperatorium fuisse indicat, ut aliunde constat. Quare Andromachus non »medicus Augusti«, sed fere »praefectus medicorum« fuisse videtur. Quae utut se habent, negandum est aut Romae saeculo I. et II. quosvis medicos aut in urbibus Graecis saeculo II. et III. archiatros ullam in medicos privatos potestatem habuisse. Collegio autem archiatrorum ipsorum in extrema antiquitate unus ex eis praepositus erat, qui vocabatur »comes archiatrorum« (cf. Cassiod. var. l. 6, 19. — Meibomius, *Comment. in Cassiodori formula archiatr.* Helmstaedt. 1668). Sed collegium archiatrorum quattuordecim ipsum illis etiam

---

[54]) Falso verbum περιώματα editores interpretati sunt, falso Herwerden *Lex. suppl.* s. v. περίωμα. Adnotat U. de Wilamowitz περίωμα Aegyptiace esse pro πελίωμα (GGA. 1898, 680[4]). Sunt igitur περιώματα livores, partes pellis, quae livore suffusae sunt.

temporibus medicis reliquis, ita ut veram potestatem in eos haberet, praefectus non erat. Nam altum est silentium in libris iuris Romani.[55])

§ 5.

DE MEDICIS AD CERTAM CAUSAM A RE PUBLICA ET DE MEDICIS A COLLEGIIS CONDUCTIS.

Teneamus esse inter titulos medicorum publicorum veterinarii etiam publici (nr. 10). In terra propter equos famosa, Lamiae, ἵππων ἰατρὸς ille altero a. Chr. saeculo publice conductus est.[56]) Ad bella etiam medicos proprios a Graecis conductos esse et ex titulo Idaliensi apparuit (cf. p. 18) et ex testibus nonnullis aliis intelligitur,[57]) quamquam saepe etiam medicis

---

[55]) Quare Perrot vel qui scripsit brevia atque optima illa de archiatris (*Exploration de la Galatie et la Bithynie* I, 50), haec tamen ex inanibus finxisse videtur, cum scribit: *L'ordo archiatrorum exerçait une surveillance légale sur les autres médecins, et ceux-ci étaient forcés de lui rendre compte de leur pratique et d'accepter son contrôle; c'était lui aussi, qui devait distribuer l'instruction professionelle aux jeunes gens qui se destinaient à la médecine et qui tenait sans doute ces scholae medicorum* (citat Orelli 4226 [sic], ubi autem *tabularium scholae medicorum* Ligorius interpolatus est: CIL. VI, 988*).

[56]) Alii in inscriptionibus et papyris etiam exstant ἱππιατροί, sed omnes aevi Romani: CIG. 1953 (= Lebas II, 1321, Dii in Macedonia: Οὐαλεριανὸς ἱπποϊατρὸς υὸς ἱπποϊατροῦ); J. H. Mordtmann, AM. XVIII (1893), 417, nr. 4 (Edessae, sed infimae aetatis, titulus christianus: Ἰόρδανος ἱπποϊατρός); Eph. arch. 1841, nr. 602, K. Keil, Philologus XVI (1860), p. 10 (Deli: Εὔτυχος Καίσαρος ἱπποϊατρός); CIG. 5117 (in porta templi Isidis et Sarapidis in finibus imperii Romani ad Nubiam versis: Γ[ά]ιος Αὐφίδιος [ἱ]ππωϊατρός); etiam CIG. 4716 d[57] (in valle *Foaekhir* in Aegypto) mihi legendum esse videtur: τὸ προσκύνημα Λογγίνου ἱππέος καὶ τοῦ ἱππ[ο]ιατ[ροῦ] (Franz: ΙΠΠ . ΙΑΤ . . . τοῦ ἱππ(ικοῦ) ἰατ[ροῦ]: *intellige* ἰατροῦ τοῦ ἱππικοῦ, *medicus alae equitum*); Oxyrh. Pap. I, 92 (a. p. Chr. n. 335(?), Ἀμεσύστῳ ἱπποϊατρῷ). Inest etiam in Anthol. Planud. 271 ἀδέσποτον εἰς Σώσανδρον ἱπποϊατρόν, qui cum Hippocrate comparatur.

[57]) v. Xen. Iust. Cyr. I, 6, 15: οἱ στρατηγοὶ τῶν στρατιωτῶν ἕνεκεν ἰατροὺς ἐξάγουσιν. cf. Anab. III, 4, 30: ἰατροὺς κατέστησαν ὀκτώ, non veros autem medicos, sed qui idonei videbantur e militibus. Coi navibus longis etiam singulis, si solvebantur, medicum addebant. Quod demonstratur titulo Byzantii invento (Jahresh. des oesterr. Inst. I, 31 et Beibl. p. 92) in quo inter praepositos navis ultimo loco legitur ἰατρὸς . . . . γος Θευγένο[υ].

publicis, si in urbe instituti erant, bello exorto milites, quippe qui cives essent, curandi erant (cf. tit. 18; Xen. rep. Lac. 13, 7).

Nonnumquam ad dies festos et ludos medici conducebantur, ut e spectatorum coetu si quis aegrotaret statim et gratis curarent. Quod testatur inscriptio Iliensis supra iam laudata (nr. 22 — cf. p. 56), in qua dicitur agoranomum quendam per dies festos Athenae Iliadis medicum praebuisse, qui aegrotantes sanaret. Similiter interpretandus est Olympiae titulus (*Inschr. v. Olymp.* 62). Qua in inscriptione, quae inter annos 36 et 24 a. Chr. cadit, omnes enarrantur, qui munus aliquod in statis sacrificiis a re publica Eleorum Olympiae factis exercebant (cf. *Inschr. v. Olymp.* 138). Sed una cum eis, qui sacris ipsis operabantur, sacrificibus, haruspicibus, tibicini, multis aliis, nominantur, qui in sacrificando ipso operam non consumebant: γραμματεύς, ἀρχιτέκτων, ἰατρός [Σωτίων Σωτίωνος vs. 13). Architectus autem est publicorum illorum, qui multis locis et maxime apud templa magna instituebantur, ut aedificia sarta et tecta conservarent, et quorum non pauci in inscriptionibus extant (v. Lebas-Foucart 194a, comm. ad vs. 17; Th. Homolle BCH. XIV, 477). Item medicus videtur publicus fuisse, qui peregrinorum causa ad dies festos confluentium versatus est Olympiae. Qui officiales rei publicae Eleorum, quamquam aliis de causis Olympiae essent, tamen collegio illo sacrificum publico adscribebantur. Quod quidem non semper ita fuit, quia in omnibus aliis huiusmodi catalogis medicum et architectum non invenis.

Sed a collegiis ipsis etiam medici conducebantur vel instituebantur, a gymnasiis, gerusiis, magnis privatorum sodaliciis. In gymnasiis praeter iatroliptas, paedotribas, gymnastas, quos medicinae studuisse Hippocrates tradit (cf. Krause, *Gymn. u. Agonistik der Hellenen* p. 218 sqq.), Romanis temporibus medicos veros etiam fuisse tituli docent. In catalogo Tegeatico anni p. Chr. 168 vel 171 post gymnasiarchum, hypogymnasiarchum, archephebum nomina epheborum enumerantur et tum cetera gymnasii officia: ἐλαιοτέθης, γραμματεύς, ἰατρός ('Επίκτητος 'Αλεξάνδρου), κουρεύς, παιδοτρίβης, καμινίων, σπαδεικοφόρος (V. Bérard, BCH. XVII, 20). Duo gymnasii medici in titulis Spartanis aevi Romani CIG. 1275 et 1279 extare videntur (cf. Boeckh l. l.), quamquam non satis constat titulos ad gymnasia pertinere. Athenis autem iatroliptae, paedotribae, gymnastae aevo Romano

esse non desinunt, tamen tertio p. Chr. saeculo in epheborum Atticorum catalogis (annorum 230—260 p. Chr.) inter alios gymnasii magistratus veri quoque medici nominantur: IG. III 1193 col. I vs. 32: [ἰατ]ρός· Ἀρτεμείσιος. IG. III 1199 col. I vs. 36: ἰατρός· | Αὐρ. Ἀρτεμείσιος. IG. III 1202 col. I inter multos alios magistratus διὰ βίου vs. 38: ἰατρός· Ἑρμογ[έ]νης. (cf. Grasberger, *Erz u. Unterr.* III, 477. A. Dumont, *Essai sur l'ephébie attique* I, 199).

Medici publici aevo Romano gymnasiis veterum quoque virorum defuisse non videntur. Ad hanc rem quod certe pertinet exemplum, proferri quidem non potest. Sed ipsae gerusiae [58]) habebant medicos publicos, ut inscriptiones demonstrant. Qui quidem medici aliqua tantum ex parte publici erant, eo usque enim, ut a collegiis ipsis mercedem muneris acciperent et singulos collegii socios gratuito curarent. Praeterea privatim eos artem suam exercere potuisse consentaneum est. Invenitur autem gerusiae ipsius medicus in catalogo sacrificulorum, qui est in *Inschr. v. Magnesia* 119 vs. 19: M. Αὐρ. Ἑρμῆς ἰατρὸς γερουσίας, cum multis aliis Aureliis, unde tempus tituli sumas. Alius extare videtur in titulo in urbe Phrygiae Sebaste reperto (P. Paris, BCH. VII 452 II), in quo [ο]ἱ εἰσελθόντες [ε]ἰς τὴν γερουσίαν inde ab anno p. Chr. 99 inscripti sunt. Inter quos col. I vs. 12 Θεογένης Θεογένους ἰατρὸς nominatur et nomine officii apposito ab omnibus aliis distinguitur.[59])

Qui saeculo quarto apud Romanos ipsos inveniuntur archiatri

---

[58]) Gerusias, quae in omnibus fere Asiae Minoris urbibus aevo Romano erant, publicas esse institutiones, sed in rebus publicis gerendis et administrandis nullam fere habere potestatem contra Waddingtonem (Lebas III ad inscr. 53) et Mommsenum (RG. V 326 adn.), qui privata ea esse sodalicia volebant, nunc viri docti consentiunt: J. Lévy, *Études sur la vie municipale de l'Asie Mineure* REG. VIII (1895), 231 sqq. cf. Hicks, Inscr. in the Brit. Mus. III, 74 *(The Ephesian Gerusia)*; Benndorf und Niemann, *Reisen in Lykien und Karien* I, 72. Inter medicorum etiam titulos unus est, quo gerusiam institutionem publicam fuisse demonstratur (nr. 42): Ῥοδιαπολειτῶν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ ἡ γερουσία ἐτείμησαν — — — Ἡράκλειτον Ἡρακλείτου Ὀρείου.

[59]) Cyro archiatro filio Apollonii gerusia Lampsacenorum statuam erigendam curavit (nr. 70), quia praeter multa alia beneficia gerusiae oleum in gymnasio praebuerat (ἀλείψαντα λαμπρῶς καὶ πολυδαπάνως καὶ ἀσυνκρίτως, cf. Boeckh ad CIG. 3643) et mille donaverat Atticas. Sed nullo verbo dicitur Cyrum medicum gerusiae illius fuisse.

portus Xysti et archiatri *Vestalium* (cf. p. 54), illos gymnasiorum et gerusiarum medicos excipiunt. Quamquam saeculo iam p. Chr. I. Romae medici quasi collegiorum fuisse videntur, quoniam extat titulus ibi repertus: *Ti. Claudius Aug. l. Hymenaeus medicus a bibliothecis* eqs. (CIL. VI 8907). Sed libertus est et medicus in domo patroni collibertorum et servorum quasi collegio additus.

Sin autem medici publici urbium sunt, pagorum, vicorum, si medici ad bella, ad dies festos instituebantur, si exstant medici conducti ab gymnasiis et gerusiis, nihil obstat, quin etiam a collegiis vere privatis, si satis magna erant, medici proprii conducerentur. Quid enim multum interest inter medicum quem constituebant τοὶ κατοικεῦντες ἐν τῶι δάμωι τῶν Ἁλεντίων καὶ τοὶ ἐνεκτημένοι καὶ τοὶ γεωργεῦντες ἐν Ἅλεντι καὶ Πέληι τῶν τε πολειτᾶν καὶ Ῥωμαίων καὶ μετοίκων (cf. p. 57), et medicum a magno collegio privato conductum? Talem demonstrare videtur titulus CIG. II add. 2339b, Teni inventus, aevi Romani. Quo in titulo praesides sodalicii nautarum,[60]) quod συμβίωσις vocabatur, enarrantur; inter quos praeter nauarchum eponymum, scribam, hierodulum medicus quoque fuit (ἰατροῦ Ἱέρακος vs. 7. — cf. Ziebarth, *Griech. Vereinswesen*, p. 16 et 206 sq.). Alium collegii medicum agnoscendum esse in titulo IG. IV 365 (Kaibel, EG. 885) Corinthi reperto voluit L. Liebenam (*Röm. Vereinswesen*, p. 123), qui θηρεύτορας ἄνδρας, qui medico cuidam statua gratiam referentes ibi extant, collegium venatorum fuisse existimabat. Sed sunt venatores amphitheatri Corinthii, quos firmum collegium habuisse opus non est. Medicus autem circensis fuisse videtur.

---

60) Quod titulo eponymi demonstratur: ἐπὶ ναυάρχου Ἀπολλωνίδου τοῦ Ἀγγέλου Πρωτίωνος. Nam cum magistratum eponymum rei publicae Teniorum nauarchum nominatum esse nullo testimonio affirmetur (sunt autem ἄρχοντες CJG. 2329, vs. 27; 2332, 14; ἄρχων 2338, 1; ἄρχων ἐπώνυμος 2339, 1; στρατηγοί 2330, 16), nihil impedit, quominus nauarchus ille ad sodalicium ipsum referatur. Vocabantur autem interdum sodalicia negotiatorum vel fabrorum συμβιώσεις, de qua re conferas Ziebarth, *Griech. Vereinswesen*, p. 102, ubi citatur CJG. 3639: ἡ συμβίωσις τῶν χαλκέων.

§ 6.

DE MERCEDE ET PRAEMIIS MEDICORUM PUBLICORUM.

Quaerentibus, quantam mercedem medici publici acceperint, prima se offerunt Herodoti verba de Democede (III 131): καί μιν δευτέρῳ ἔτεϊ ταλάντου Αἰγινῆται δημοσίᾳ μισθοῦνται, τρίτῳ δὲ ἔτεϊ Ἀθηναῖοι ἑκατὸν μνέων, τετάρτῳ δὲ ἔτεϊ Πολυκράτης δυῶν ταλάντων. Quae summae, etiamsi saepe a viris doctis in dubium vocatae sunt (cf. praecipue adn. Valckenarii ap. Herod. ed. Gaisford III p. 277), tamen mihi ab omni veri similitudine abhorrere non videntur. Etenim tempora remotiora sunt, quibus non tot medici quot saeculo IV. vel insequentibus novam aegris promittebant valetudinem; medicus ille celeber autem est et artis peritissimus (ὑπερεβάλλετο τοὺς ἄλλους ἰητρούς c. 131), quem Aeginetae, quamvis nulla artis instrumenta secum ferret, conducebant et mercedem tam insolitam reddebant, ut Herodotus, quantam dedissent, sibi adnotandum esse putaret. Vero quas pecuniae summas Athenienses et Polycrates Democedi expendebant, eae in tantam altitudinem propterea sunt expressae, quod alter alterum licendo superare studebat.

Et tantas pecunias illis temporibus medicis interdum praebitas esse certo testimonio alio affirmatur. Ex Onasili enim inscriptione Cypria (cf. p. 18), quae praemia illi et fratribus data sint, cum verbis ipsis pactionis tum factae dici potest, si quae in tabula exstant recte sunt lecta. Legunt autem viri doctissimi constituisse regem urbemque Idaliorum Onasilo una cum fratribus ἀ(ν)τὶ τῶ μισθῶν κὰ ἀ(ν)τὶ τᾶ ὑχήρων (i. e. ἐπιχείρου) unum talentum argenti aut si mallent agrum quendam cum plantis et fructibus, ut ipsi et posteri semper eum haberent; Onasilo autem soli illi addiderunt quattuor secures argenteas et duo didrachma Idalia aut agrum hortumque huic pecuniae pares (vs. 23 sqq.: ἤ κέ σις Ὀνάσιλον ἢ τὼς παῖδας τὼς Ὀνασίλων ἐξ τᾶι ζᾶι τᾶιδε ἴ ἐξ τῶι κάπωι τῶιδε ἐξορύξη, ἰδὲ, ὃ ἐξορύξη, πείσει Ὀνασίλωι ἢ τοῖς παισὶ τὸν ἄργυρον τό(ν)δε· ἀργύρων πε(λέκεϝας) δ′ πε(λέκεϝας) β′ δί(δραλμα) Ἠ(δάλια).). Sed Onasilus et fratres agros et hortos pecuniae antetulerunt, ut ex appendice inscriptioni posterius addita apparet (vs. 29—31). Hi autem valebant unum talentum, eandem igitur summam, quae Democedi ab Aegihetis praebita est, si modo talentum idem est. Duo autem didrachma Idalia et quattuor secures argenteae,

pro quibus praeterea Onasilus solus agrum et hortum accepit, e tribus duas fere partes talenti valebant.[61]) Quae omnes mercedes non totum in annum, sed in tempus obsessionis, quae quam longa fuerit non constat, constitutae erant, et perspicuum est eas modum usitatum mercedis valde excessisse. Nam res insolita et insueta erat, cum urbs in summo periculo fuerit, atque medico illo fratribusque summi labores obeundi erant, alii autem medici cogi non potuerant.

Quanta merces medicis publicis vulgo soluta sit, his non docemur. Neque alios certos testes habemus, cum libri immemores eorum, quae vulgo in urbibus antiquis instituta erant, nihil tradant, monumenta autem, inscriptiones, papyri, quae magis ad usum consuetudinemque cotidianam pertinent atque accuratiora interdum tradunt, nunc etiam satis non exstent. Sunt quidem, quae summam pecuniae referant, quae medico privato est data in re certa atque definita.[62]) Sed ex his nullo modo, si mere opinari nolis, merces annua medicorum publicorum colligenda est.

At res fortasse apertior fit, si meminimus Teios paedotribis mercedem annuam 500 drachmarum dedisse, grammaticis 600, 550, 500, citharistae 700 drachmarum (v. Ditt.[2] 523a, vs. 10 sqq.). Architecti autem templi Apollinis Delii 720 drachmas accipere soliti esse videntur (v. Th. Homolle BCH. XIV (1890), 478). Nam haec summa vel partes eius saepius in rationibus templi illius leguntur, e. c. BCH. XIV 396 (I vs. 82): καὶ τάδε ἄλλα ἐδώκαμεν· Ἀρχιτέκτονι μισθὸς — ⊞HHΔΔ. Athenienses architectis interdum mercedem non altiorem praestabant quam aliis opificibus et artificibus, unam pro die drachmam; hac enim mercede muneris architecti Erechthei Atheniensis fruebantur, cum 37 drachmas in prytania acceperint (JG. I 324a vs. 56; c col. II

---

61) De didrachmis argenteis vid. supra p. 18[15]. Secures argenteae pars talenti et ea Cypri decem minae fuisse videntur: Hesych. s. v. πέλεκυς· ἀξίνη δίστομος. ἢ σταθμίον ἑξαμναῖον ἀρχαῖον· οἱ δὲ δεκαμναῖον. idem s. v. ἡμιπέλεκον· τριμναῖον ἢ τετραμναῖον ἢ πεντάμνουν. τὸ γὰρ δεκάμνουν πέλεκυ καλεῖται παρὰ Παφίοις. Eustath. 1878, 57: δηλοῖ γὰρ ἡ λέξις ὁμωνυμίας λόγῳ κατὰ τοὺς παλαιοὺς καὶ σταθμὸν ἐν Κρήτῃ ἑξάμνουν ἢ δεκάμνουν. cf. *A catalogue of the greek coins in the Brit. Mus., Cyprus* (G. Fr. Hill) p. XXII.

62) v. Papyr. Londin. 131 r. col. 8, vs. 179; Tebtunis Pap. 112 passim; Amherst Pap. 128 v., vs. 120. cf. fragm. Cratetis ap. Diog. Laert. VI, 5, 86; Vercoutre l. l. p. 242 sqq.; Becker l. l. p. 57 sqq.

vs. 8. cf. Gregor Huch, *Organisation der oeffentl. Arbeit im griech. Altertum* I (Diss. Lips. 1903) p. 51 sq.).

Quas summas si respicio, eis mercedem annuam medicorum non maiorem fuisse et vulgo quarto saeculo et insequentibus in urbibus Graecis 500—700 drachmas medicis fere datas esse puto. Consentaneum est prout urbes res tempora erant mercedes quoque impares fuisse. Athenis bello Peloponnesiaco confecto pecuniae publicae erant consumptae et exhaustae. Quamobrem medici etiam mercedem minorem accipiebant, et quo minor merces erat, eo peiores medici munus publicum suscepisse videntur. Ad quod mihi cum Welckero (l. l. p. 230) Pluti Aristophanei versus 407 eqs. spectare videntur:

— τίς δῆτ' ἰατρός ἐστι νῦν ἐν τῇ πόλει;
οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς οὐδέν ἐστ', οὔθ' ἡ τέχνη.
— σκοπῶμεν. — ἀλλ' οὐκ ἔστιν. — οὐδ' ἐμοὶ δοκεῖ.

Unus inscriptionis cuiusdam locus nobis etiam disceptandus est. In magna ratione et catalogo hieropoearum templi Apollinis Delii exarato Demare archonte (circa annum a. Chr. 180), cum pecuniae ab decessoribus ἐν τῇ δημοσίᾳ κιβωτῷ acceptae describantur, haec leguntur vs. 82 sqq. (BCH. VI 13. — nr. 23): ἄλλος στάμνος ἐπιγραφὴν ἔχων· ἀπὸ τῆς Ἕλληνος καὶ Μαντινέως, ἐπὶ Δημητρίου Ποσιδεῶνος, ἔθεσαν εἰς τὸ ἱερὸν Φωκίων Κλεοκρίτου ταμίας καὶ Παρμενίων ὁ Πολυβούλου κληρονόμος [ὢν] ([ῷ] edit.) ἔλαττον ἔλαβεν ὁ ἰατρὸς (ὁ ἰατρὸς supra lineam, *en surcharge*) ΗΗ𐅄 καὶ τοῦ ἐνοικίου ὡσαύτως ΔΔ𐅃. Quae verba inscripta in urna demonstrant Demetrio archonte, mense Posideone, quaestorem et hominem privatum duas summas tradidisse, quae pecuniae publicae sunt et auxilio Hellenis et Mantinei, de quibus qui sint nihil constat (cf. Homolle l. l. p. 71), aerario publico tradebantur. Quas summas medicus quidam non sibi habuerat, alteram 250 drachmarum de mercede sua, ut consentaneum est, alteram viginti quinque drachmarum de pensione aedium. In antecessum igitur res publica huic medico praeter mercedem etiam pensionem aedium dederat, ut ipse habitaret et medicinam instrueret; sed mortuus esse Polybulus medicus videtur, et moriens Parmenionem heredem suum summas illas rei publicae reddere iusserat, quia nondum tempus totum circumactum erat, in quod iam antea mercedem et pensionem acceperat. Cum autem ducentae quinquaginta drachmae summa solida sint, veri simillimum est totam mercedem

annuam ex multiplicatione simplici effectum iri. Sed quae multiplicatio facienda sit, incertum est, fortasse simplicissima, ita ut 500 drachmae merces annua medici publici illius essent et quinquaginta pro habitatione additae essent. Quod in ea quadret, quae supra in universum explanavimus, sed incertius est, quam ut firmum quicquam ex eo colligi possit.

De mercedibus aevo Romano archiatris datis, exempli causa in urbibus Asiae Minoris, nihil memoriae proditum est. Ad publicorum autem sicut ad privatorum medicorum mercedes referenda sint, quae Ulpianus *libro octavo de omnibus tribunalibus* scripserat (Dig. L, XIII 1): *praeses provinciae de mercedibus ius dicere solet, sed praeceptoribus tantum studiorum liberalium - - - Medicorum quoque eadem causa quae professorum, nisi quod iustior, cum hi salutis hominum, illi studiorum curam agant: et ideo his quoque extra ordinem ius dici debet.*[63]) Sed de summis nihil aperitur. Romae medicis publicis annonae praestabantur, saeculo tertio binae aut ternae (Lamprid. Alex. Sev. 42), quot quarto archiatris, non dicitur (Cod. Iust. X 53, 9; Theod. XIII 3, 9. — cf. p. 42), et quantum annona medicorum valuerit, quot quisque modios tritici assecutus sit, ignoramus. Sed mercedes publicae expendebantur usque ad Iustiniani tempora, quem mercedem munerum publicorum abolevisse ex Procopio (hist. arc. 26) intellegitur (quem laudat Perrot, *Exploration de la Galatie* I, 50[3]).

Hippocrates vel potius qui scripsit librum παραγγελιῶν medicis suadet ut medeantur ὁτὲ δὲ προῖκα ἀναφέρων μνήμην εὐχαριστίης προτέρην ἢ παρεοῦσαν εὐδοκίην· ἢν δὲ καιρὸς εἴη χορηγίης ξένῳ τε ἐόντι καὶ ἀπορέοντι, μάλιστα ἐπαρκέειν τοῖς τοιούτοις. ἢν γὰρ παρῇ φιλανθρωπίη, πάρεστι καὶ φιλοτεχνίη (Littré IX 258). Quod consilium amplius secutos medicos gratuito interdum sanavisse tituli docent: καὶ προσανέθετο τὰς χρείας τοῖς ἐν ἀρρωστίαν ἐμπεσοῦσιν ἄνευ μισθοῦ (nr. 36 vs. 7 sq.), ἰατρεύσαντα προῖκα (de Heraclito Rhodio-

---

[63]) Adiungamus, quae continuo sequuntur: *Sed et obstetricem audiant, quae utique medicinam exhibere videtur. Medicos fortassis quis accipiet etiam eos, qui alicuius partis corporis vel certi doloris sanitatem pollicentur; ut puta si auricularius, si fistulae vel dentium, non tamen si incantavit, si inprecatus est, si, ut vulgari verbo impostorum utar, si exorcizavit: non sunt ita medicinae genera, tametsi sint, qui hos sibi profuisse cum praedicatione adfirment.* Sunt autem qui *exorcizaverunt* christianorum medici: cf. Harnack, *Med. aus der ält. Kirchengesch.*, p. 68 sqq.

polita nr. 42 vs. 17). Sed multos medicos, quo facilius munus publicum sibi traderetur, gratis sanando gratiam populi petivisse supra iam vidimus (p. 48sq.). Tamen non desunt, qui commodo suo non servientes etiam postquam medici publici facti sunt aliquamdiu mercede sua destiterint. Nam de Damiada Lacedaemonio decretum Gytheatarum haec refert: [ἐ]πὶ Βιάδα δὲ Λαφρίωι θεωρῶν τὰν π[όλιν ἐξαπορου]μέναν ἐν ταῖς εἰσφοραῖς ἐπανγ[είλατο τῶι δά]μωι δωρεὰν ἰατρεύσειν παρ' ἁμε[τέραν πόλιν αὐτόν (nr. 12 vs. 28 sqq.). Damiadas igitur alterius quem publicus erat anni (cf. vs. 45) mense Laphrio, cum oppidum tributo ab Romanis imposito valde premeretur,[64]) de mercede muneris destitit, sed unum tantum mensem hoc fecit, cum certus mensis anno additus sit. Sequitur, ut merces singulis mensibus Gythei medicis publicis expenderetur, id quod Athenis aliis locatione non constitutis prytaniis singulis saepe fiebat (cf. Boeckh, *Staatshaushalt* I³ 308). Sed habemus alium etiam titulum et eum Atheniensem, qui medicum publicum munus gratis suscipientem affert. Ibi Phidias homo Rhodius, qui Athenis medicus privatus erat, tum ἐπιδέδω[κε]ν ἑαυτὸν δημοσιεύειν δωρε[ὰ]ν ἐνδεικνύμενος τὴν εὔνοιαν ἣν ἔχει πρὸς τὴν πόλιν (nr. 2 vs. 17 sqq.). Qua de causa ille omni mercede destiterit, non declaratur. Sed fortasse ita conicere licet. Medici publici qui a civitate mercedem accipiebant et propterea aegrotos gratis curabant, tamen a quovis cive, si modo dabat, pecuniam accipere vetiti non erant. In maioribus autem urbibus et maxime Athenis factum sit, ut qui hoc modo redibant reditus mercedem publicam multo superarent, cum divites quoque medicos publicos, qui saepe medicorum optimi erant, consultarent. Quare efficiebatur, ut medici munus publicum valde appeterent, praesertim cum eo medici quasi approbati fierent, et ut eo facilius crearentur civitati pollicerentur se gratuito munus suscepturos esse. Immo Ioh. Toepffer (AM. XVI 429) usque eo progressus est, ut oppida et tempora fuerint, quibus munus publicum eis medicis trade-

---

[64]) cf. Lebas-Foucart 242a, vs. 15sqq.: ἐπὶ Βιάδα δὲ ἐνιαυτῶι ὅτε ἰδίαν χάριν ἐξαιτησάμενοι Πόπλιόν τε Αὐτρώνιον καὶ Λεύκιον Μαρκίλιον ὄντας αὐτοῖς ξένους, οὓς καὶ ὑπεδέξαντο τοῖς ἰδίοις δαπανήμασιν καὶ παρα[ι]τήσαντο τούς τε στρατιώτας καὶ τὰ λοιπὰ τὰ ἐπιτασσόμενα ὑπ' αὐτῶν, ὄντα ἱκανά, δι' ὧν ἐκούφισαν τὴν πόλιν, ὁλοσχερῶς χαρισαμένων αὐτοῖς τῶν προγεγραμμένων ἀνδρῶν — — —

retur, qui a civitate magno id fortasse pretio conduxissent sicut temporibus quibusdam sacerdotia ad licitationem deducerentur.

Tamen medicos publicos a privatis etiam mercedem accepisse certis quidem testimoniis affirmari non potest. Diserte autem archiatris Romanis permittebatur, ut pecuniam a privatis acciperent, si ab sanatis voluntarie oblata sit: *archiatri scientes annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari honeste obsequi tenuioribus malint quam turpiter servire divitibus. Quos etiam ea patimur accipere, quae sani offerunt pro obsequiis, non ea, quae periclitantes pro salute promittunt* (Cod. Iust. X 53, 9 = Theod. XIII 3, 8).[65] Quae Valentiani, Valentis, Gratiani imperatorum epistula anni 370, cum ad Praetextatum praefectum urbis missa sit, ad archiatros quattuordecim Romae urbis maxime pertinet.

Merces, quae a re publica medicis expendebatur, multis locis non ex aerario emanabat, sed tributo ad hanc ipsam causam civibus imposito cogebatur. Quod tributum inscriptiones et papyri quadraginta fere proximis annis aperuerunt, vocabatur autem ἰατρικόν.[66] Repetemus breviter res notas. Prima Delphis inscriptio reperta est (nr. 8) annorum a. Chr. 230—200 (H. Pomtow Rh. M. XLIX 582). In qua Philistioni cuidam damnum quod fecerat, cum ab creditoribus quibusdam Delphorum pecuniam, quam hi debebant illis, solvere coactus erat, ita resarciebatur, ut ei et posteris ἀτέλεια χοραγίας καὶ τοῦ ἰατρικοῦ daretur (cf. Ditt.[2] 466 adn.). Deinceps cum quarto saeculo inter Teum et aliud oppidum, cuius nomen non exstat, synoecismus conveniret (cuius foederis fragmentum lapidi incisum a. 1891 repertum est), civibus novis, qui Teum transmigrabant, in decem annos immunitas praeter iatrici praebita est: εἶναι δὲ αὐτοὺς κα[ὶ τῶν ἄλλων εἰσφορ]ῶν ἀτελεῖς πλὴν ἰατρικοῦ (nr. 1 vs. 10sqq.).

---

[65]) Quae verba secutus esse videtur Dionysius medicus Antiochenus, de quo scripsit Libanius ad Tatianum (ep. 911 extr. ed. Wolf): καὶ τοιοῦτος μὲν ὢν τὴν τέχνην, τοιοῦτος δὲ τὸν τρόπον τῶν πενεστέρων ἐστίν, οὐ κατὰ τὸ μὴ εἶναι τοὺς διδόντας, εἰσὶ γὰρ οἱ σεσωσμένοι, ἀλλὰ νῦν μὲν μικρῷ τινι τὴν χεῖρα ὑπεῖχεν αἰδούμενος, νῦν δὲ τὸ πᾶν διεώσατο. Qui cum nihil nisi ea acciperet, *quae sani offerunt pro obsequiis*, publicus esse videtur.

[66]) cf. A. Toepffer, AM. XVI 430 (= *Beiträge zur griechischen Altertumswissenschaft* p. 221); U. Wilcken, *Griech. Ostraka* I, 375sqq.; R. Herzog l. l. p. 204[3].

Eodem anno Coorum lex sacrificiorum in medium prolata est.[67]) Qua in tabula inter eos, qui diebus festis quibusdam sacrificia faciant et »casam constituant«, multi sunt vectigalium redemptores, et vs. 15sq. legitur: [θυέτω]⟨ι⟩ δὲ κατὰ ταῦτα καὶ σκανοπαγείσθω⟨ι⟩ καὶ ὁ ἔχων τὰν ὠνὰν τοῦ λατρικοῦ. Cum autem τοῦ λατρικοῦ enucleare non possent, erratum esse a lapicida et legendum esse τοῦ ἰατρικοῦ viri docti existimabant.[68]) Sed Udalricus Wilcken, cum multa in papyris ostracisque Aegyptiis tributa ignota enodavisset, quid λατρικὸν esset, etsi dicere non potuit, tamen verbum ita tenendum esse arbitratus est.[69]) Nobis igitur ab hoc incerto titulo abstinendum est, quamvis multum interesset in urbe Co ipsa tributum medicum inveniri.

In duobus autem aliis oppidis, Delphis, in media parte Graeciae, et Tei, in urbe Ionia Asiae Minoris, τὸ ἰατρικὸν adhuc certe exstat. Ubi accuratiora ignoramus, nisi id intelligimus Tei iatricum tam necessarium esse existimatum, ut civibus novis, qui omnibus aliis oneribus liberarentur, tributum medicum tamen pendendum esset. Quod tributum etiam sua sponte homines aliqui constituebant. Nam consentaneum est, si pagani pagi Halentis una cum eis, qui in hoc pago agros possidebant et qui ibi et in agris Pelae pagi laborabant, medicum proprium conducebant (v. p. 57, 66), illos omnes voluntariam stipem contulisse, ut medico mercedem darent.

Quantum quisque pecuniae dederit, cum in Graecia ignoremus, papyri Aegyptiae demonstrant. Nam in papyris alterius fere a. Chr. saeculi: *Flinders Petrie Papyri* (ed. Mahaffy) II nr. XXXVIIIa (p. 36) semel, nr. XXXIXe (p. 129) passim ἰατρικὸν β′ legitur, ex quo apparet binas frumenti artabas a quibusdam pro tributo medico annuo pensitatas esse. Qui tributum solvebant, in utraque papyro coloni Graeci veterani sunt, ita ut dici non possit omnesne cives tributum idem pependerint

---

67) edd. A. Κοντολέων, AM. XVI (1891), 406; Th. Reinach, REG. IV, 357sqq. Ingeniόse interpretatus est A. Toepffer, AM. XVI (1891), 411 sqq. = *Beiträge zur griech. Altertumswissensch.* 204sqq. cf. BCH. XVI, 162.

68) Sed cum Th. Reinach scripsisset (REG. IV 371): *On serait tenté de corriger* λατρικοῦ *en* ἰατρικοῦ, posteri iam certius affirmabant et pro certo habebant, quae mera coniectura est.

69) *Griech. Ostr.* I, 375[1]: *Da der Stein nach der Publikation ein deutliches* Λ *zeigt, wird man an* λατρικοῦ *festzuhalten haben.*

an fuerint qui plus debuerint (cf. U. Wilcken l. l. 375). Sed tributum duarum artabarum[70]) parvum est, quoniam τὸ φυλακιτικόν, quo tributo custodes alebantur, ternas artabas pro capite et anno faciebat atque multa tributa alia muneribus multo maioribus explebantur. Si igitur τὸ ἰατρικὸν comparamus cum custodum tributo, merces muneris medicorum minor fuisse videtur quam custodum publicorum, nisi eorum plures in unoquoque loco quam medici publici fuerant. Medicis autem pro mercede non pecunia, sed frumentum ipsum datum esse videtur sicut archiatris urbis Romae annonae vel *annonaria commoda.*

De mercede pars aliqua medico publico in medicinam consumenda fuerit aut alia summa ei praeter mercedem ex iatrico data sit, ut medicinam sustentaret, sicut medico illo Delio (v. p. 69). Apud Graecos ita fuisse E. Curtius iam suspicatus est, cum primo iatrici titulo Delphis invento existimaverit iatricum esse exactum *zur Besoldung von Aerzten und Erhaltung ärztlicher Anstalten* (GGA. 1864, 1227). Tum multa verba et plures etiam coniecturas de hac re incerta fecit A. Vercoutre.[71])

Mercede et publica et privata accepta medico publico alio etiam modo pro laboribus praemia data sunt. Populus enim medicos bonos laudabat, coronas eis dedicabat, hospites publicos (προξένους) eos faciebat, in civitatem ascribebat. Cum medicus urbem relinqueret, ut novam sedem appeteret, rebus bene gestis saepissime ei honores tales decreti sunt. Horum decretorum paullatim numerus maior in lucem prolatus est, cum nunc habeamus triginta (p. 19sqq.); baseon autem statuarum quibus aevo Romano medici maxime honorati sunt publice constitutarum undecim collectae sunt (p. 21 sq.). Itaque et aevo Romano et ante Romana tempora et statuae et decreta plurima in urbibus

---

[70]) Valebat autem artaba aetate Ptolemaeorum 39, 39l. (Hultsch, *Metrologie*[2] 625) vel 39,39—23,62l. (Wilcken, *Ostr.* I, 747).

[71]) Qui iatricum a Charonda inventum esse contendit (l. l. 241 sqq.). Coniecerit autem quispiam, cum leges Charondae in urbe Co receptae essent (anno 366: U. v. Wilamowitz, *Arist. u. Athen.* I, 65[36]; aliud tempus proposuit Crusius, *Untersuch. zu Herondas* 36), iatricum etiam ibi constitutum esse (testari autem ibi hoc tributum titulum AM. 1891, 406, vid. p. 73) et inde per alias urbes Graeciae divulgatum esse. Sed sunt vanae suspiciones. De Charonda nihil fere scimus, et titulus ille, cum λατρικοῦ legatur, adhiberi non potest. Equidem puto tributum illud tam vetustum non esse, sed saeculo quarto demum inventum.

collocata erant, atque spes est excavationibus locis omnibus nunc florentibus plura etiam inventum iri, quibus tota haec causa in quam inquirimus planior apertiorque fiet.

Quantopere autem mos honorandi medicos pervulgatum sit, inde facile perspicias apud scriptores decreta talia ficta et vera imitantia inveniri. In codicibus enim Hippocrateis cum aliis rhetorum inventis decretum Atheniensium in honorem Hippocratis fictum exstat (Littré IX 400). Quod decretum est commixtum ex veris nonnullis apud scriptores collectis,[72]) ex verbis in decretis honorificis vulgo usurpatis, ex multis omnino ementitis (cf. Littré IX 308; Herzog 215 sqq.). Ab Atheniensi quodam illud factum esse Littré arbitratus est (I 430), Herzog Petersenium (Philologus IV 251: *Zeit und Lebensverhältnisse des Hippocrates*) secutus ludum scholae rhetorum Coorum esse dicit circa annum a. Chr. n. trecentesimum factum. Id rectius coniectatum videtur, cum Co decreti faciendi maius esset incitamentum et cotidie in Aesculapio multa medicorum decreta spectarentur. Sed num trecentesimo iam a. Chr. n. anno decretum factum sit, magnopere est dubitandum. Mihi probatur primo demum a. Chr. n. saeculo (v. Kaibel GGA. 1900, 63) vel postea etiam decretum illud commentitum esse.

Aliud tale decretum apud Diodorum legitur (IV 71). Ubi fictum est Graecos Troiam oppugnantes Machaoni atque Podalirio immunitatem decrevisse Aesculapii filiis, qui homines sunt ut alii, at non dei, atque vulneratos multos medici quasi publici sanaverant: κατὰ δὲ τὸν πόλεμον μεγάλας χρείας αὐτοὺς παρασχέσθαι τοῖς Ἕλλησιν, θεραπεύοντας ἐμπειρότατα τοὺς τιτρωσκομένους, καὶ διὰ τὰς εὐεργεσίας ταύτας ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων μεγάλης τυχεῖν δόξης· ἀτελεῖς δ' αὐτοὺς ἀφεῖναι τῶν κατὰ τὰς μάχας κινδύνων καὶ τῶν ἄλλων λειτουργιῶν διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐν τῷ θεραπεύειν εὐχρηστίας. Quae verba in memoriam redigunt, quae interdum in veris medicorum decretis leguntur.[73])

---

[72]) Conferas exempli causa initio: καὶ λοιμοῦ ἰόντος ἀπὸ τῆς βαρβάρων ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα et Thucyd. II 48: ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, ὡς λέγεται, ἐξ Αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτου, ἔπειτα δὲ καὶ ἐς Αἴγυπτον καὶ Λιβύην κατέβη καὶ ἐς τὴν βασιλέως γῆν τὴν πολλήν. ἐς δὲ τὴν Ἀθηναίων πόλιν ἐξαπιναίως ἐνέπεσε κτλ.

[73]) Adnotat U. de Wilamowitz (Isyllos 82 [55]): *Diese Darstellung wird in den Jahrhunderten entworfen sein, aus denen wir so manche Ateliepsephismen für Ärzte haben.*

Inter honores alios medicis immunitas etiam praebebatur, quamquam ante Romana tempora non saepius ea in titulis extat, si generatim qui dabantur honores intuemur (legitur nr. 21 vs. 50, nr. 24 vs. 9, nr. 32 vs. 6, nr. 36 vs. 13, nr. 40 vs. 21 sq.). Id eo explicatur, quod medici his temporibus saepe urbem, in qua consederant, mox relinquebant, ita ut laus atque hospitium publicum gravius eis esset quam cunctarum rerum immunitas. Sed aevo Romano res valde exculta est et immunitas medicis legibus praecipuis praestabatur (v. p. 40 sq.) Quod primo tamquam gratia et favor a medicis adsumptum est, cum diserte rem in titulis adnotaverint (v. p. 43; praeter archiatros duos ibi citatos Heraclitus Rhodiopolites immunitatem se adeptum esse praedicat: nr. 42 vs. 16: ἀλιτουργησίᾳ τιμηθέντα, ita ut titulus vix ante Hadriani aetatem exaratus sit). Cum autem archiatri in urbibus Asiae Minoris maxime in hoc loco haberentur, medici Aegyptii idem sibi praeberi volebant. Nam Antonini epistula ad urbes Asiae missa omnes alias quoque urbes spectare videbatur: γραφείσης μὲν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας, παντὶ δὲ τῷ κόσμῳ διαφερούσης (Dig. XXVII 1, 6 § 2. — cf. 40 sq.). Itaque in papyris medici questi sunt, quod munera publica sibi imponerentur contra imperatorum epistulas. Talem querimoniam M. Valerius Gemellus habuit (p. 51), et in eadem papyro supra querella alius medici descripta esse videtur atque responsio magistratus alicuius a praefecto ita confirmata: κέκρικε[ν - - -] ἀπολύσας, quod videtur esse: κέκρικε[ν δικαίως ὁ δεῖνα] ἀπολύσας. Unde apparet medicum questum confirmante praefecto muneribus liberatum esse. Duorum aliorum medicorum querellae disceptantur in papyro Oxyrhynchitana I 40, in qua multae huiusmodi causae una transcriptae sunt. Quarum in una anni p. Chr. 138 medico alicui de immunitate praestari referunt editores, qui hanc partem papyri nimis mutilatam non ediderunt. Quae tum sequitur causa, iterum querimoniam medici publici exhibet, sed qui cadaveribus arte medicabatur. Qui de liturgia imposita sibi ab eis, apud quos munere fungebatur, questus est; sed ei responsum est: τάχα κακῶς αὐτοὺς ἐθεράπευσας. δίδαξον τ[ὸ κατα]-τῆκον (qua re cadavera conserventur), εἰ ἰατρὸς εἶ δημοσ[ιεύ]ων ἐπὶ ταρι[χείᾳ], καὶ ἕξεις τὴν ἀλειτουργησίαν. Tradebantur igitur apud Aegyptios mortuorum corpora medicis publicis propriis conservanda, sicut medici in unamquemque partem corporis erant

(Herod. II 84). Qui ad se etiam pertinere epistulas imperatorum, quae medicos muneribus liberaverant, praedicabant.

Sunt tum libertates immunitatesque illae ad omnes medicos perlatae et epistulis imperatorum saeculis insequentibus etiam atque etiam affirmatae et auctae, ita ut mulieribus medicorum et filiis etiam libertates summae praeberentur (Cod. Theod. XIII, 3 et Iust. X 53 passim). At tamen cum in titulis medicorum saeculi II. vel. III., quibus immunitates iam datae erant, multa munera publica cum praedicatione quadam descripta sint, apparet medicos munera publica, etsi liberi eis erant, tamen si volebant suscipere potuisse. Et volebant multi, qui favorem populi et honores appetebant. Quae cum ita essent, Constantinus inter cetera anno 321 edixit: *quoniam gravissimis dignitatibus vel parentes vel domini vel tutores esse non debent, fungi eos honoribus volentes permittimus, invitos non cogimus* (Cod. Theod. XIII 3, 1).

Et tituli multos demonstrant archiatros, qui in summis honoribus versabantur: Μενεκράτης Μενεκράτους ὁ ἀρχιατρὸς τῆς πόλεως στεφανηφορῶν κτλ. (Euromi, nr. 49); M. Αὐρήλιος Χαρμίδης πρύτανις καὶ στεφανηφόρος καὶ ἀρχιατρός (Heracleae-Salbacae, nr. 57 et 58); M. Αὐρήλιος Πολείτης β ὁ ἀρχιατρὸς πρῶτος ἄρχων τὸ β (Cerami, nr. 60); ἐπιμελουμένου τῶν Μυστηρίων Σουλ. Δημητρίου τοῦ ἀξιολογωτάτου ἀρχιατροῦ (Laginae, nr. 61); Ἀγασικλείδας Ἀγασικλείδα ὁ ἀρχιατρὸς τῆς πόλεως ἀγορανομῶν κτλ. (Troezene, nr. 50); cf. nr. 73 (Lesbi) Bresum archiatrum, qui plurima munera et publica et sacerdotalia administrabat. Quorum ex titulis apparet cives hos fuisse et viros in sua urbe illustrissimos, cum in summis urbium dignitatibus obveniant. Simul intelligitur cum hi munus medicum publicum appeterent, id quoque ipsum honoratum fuisse. Ut autem archiatri ex medicis optimis eligerentur, praeceperunt etiam saeculo IV. imperatores Romani: *si quis in archiatri defuncti est locum promotionis meritis adgregandus* eqs. (Cod. Iust. X 53, 10 = Th. XIII 3, 9); *quod si huic archiatrorum numero* (XIV) *aliquem aut conditio fatalis aut aliqua fortuna decerpserit, in eius locum, non patrocinio praepotentium, non gratia iudicantis, alius subrogetur, sed horum omnium fideli circumspectoque dilectu qui et ipsorum consortio et archiatriae ipsius dignitate et nostro iudicio dignus habeatur: de cuius nomine referri ad nos protinus oportebit* (Cod. Th. XIII 3, 8).

Unus ex archiatris, qui munera publica obierunt pecunias-

que civitati dono dederunt, Attalus Priscus Ephesius Asclepiadis filius, ἀρχιατρὸς διὰ γένους vocatur (nr. 65 vs. 3). Ut maxime aevo Romano sacerdotia hereditaria fuerunt, ita huic quoque medico vel maiorum alicui munus archiatri in omne tempus traditum est, cum per se sumi posset filium semper officium patris secuturum esse.[74]) Quod iure sumptum esse alius titulus affirmat: praedicat Heracleae-Salbacae (in Phrygia maiore) Pappias quidam maiores iam archiatros fuisse: [Το μνημεῖόν ἐστι Παππίου - - -]ου ἀρχιατροῦ ἀπογόνο[υ] ἀρχιατρῶν κτλ. (nr. 59). Aliam familiam quasi familiam archiatrorum fuisse demonstrat titulus Acilii Theodori (nr. 71). Quem ipsum in titulo ἰατρῶν πρόμον vocatum tamen archiatrum fuisse inde colligas, quod iambi vocabulum ἀρχιατρόν eo loco respuebant:

'Ακείλιον Θεόδωρον ἰατρῶν πρόμον
σπουδαῖον εὐγενῆ τε καὶ εὐσχήμονα
υἱὸς Θεόδωρος θάψεν, ἠδ' ὁ⟨ς⟩ συνγενής
Θεόδωρος ἀρχιατρός κτλ.

Consentaneum est versus causa mollissimam hanc translationem usurpari potuisse.[75]) Archiater quoque fuit Theodorus Acilii propinquus (vs. 3/4). Cum autem filio Acilii nomen Theodori inditum sit, patrem Acilii Theodorum quendam fuisse verisimile est, ita ut ὁ συνγενὴς Θεόδωρος ἀρχιατρός Acilii mortui frater esset. Tum pater, qui duos filios archiatros habuerat, ipse archiater fuerit. Ut igitur rem stemmate ante oculos proponamus, sic existimamus:

(Theodorus archiater)
|
'Ακείλιος Θεόδωρος ἀρχιατρός (ἰατρῶν πρόμος) — ὁ συνγενὴς Θεόδωρος ἀρχιατρός
|
υἱὸς Θεόδωρος.

---

[74]) Qui mos Graecorum vetustissimus per totam antiquitatem usque ad imperii Romani tempora extrema duravit, ut demonstrat epistula Constantini in Cod. Iust. X 66, 1 (= Th. XIII 4, 2) anni 337: *artifices artium — — — ab universis muneribus vacare praecipimus, si quidem ediscendis artibus otium sit accommodandum, quo magis cupiant et ipsi peritiores fieri et suos filios erudire.* Nam filios in arte, quam pater ipse edidicit, erudiendos esse patet.

[75]) Ut id in praetereundo adnotem, nullo modo, opinor, dubitandum est, quin in epigrammate hermae Alcamenis nuper repertae vs. 2 Ἑρμᾶν τὸν πρὸ πυλῶν dictum sit pro Ἑρμᾶν προπύλαιον (v. Conze, Sitz.-Ber. d. Berl. A. d. W.

Dubitandum non est, quin υὸς Θεόδωρος postea archiater factus sit. Postremum familiam veterinariorum quoque ostentemus: Οὐαλεριανὸς ἱπποϊατρὸς υὸς ἱπποϊατροῦ (Αὐρηλίου Λύκου. — CIG. 1953, Dii in Macedonia, vs. 7).

Rem igitur apud Graecos notissimam aevo Romano etiam pervulgatam fuisse certis exemplis illustravimus et familias quasdam medicorum ostendimus, quarum gentiles nominatim in titulis exstant. Medico autem magnae commendationi et usui erat, quod ex antiqua medicorum familia ortus erat aut ab vetusto aliquo medico incluto genus ducebat. Et saepe olim urbs aliqua Graeca medicum quendam publicum libenter instituerit, si patrem aut avum eius apud se munere iam functum esse audierit.

§ 7.

DE COLLEGIIS MEDICORUM.

Athenis medici publici, sive sex sive plures minoresve fuerunt, saeculo III. et iam antea pro se et aegris, quibus quisque medicatus erat, Aesculapio et Hygiae bis in anno sacrificium facere patrio more solebant. Quod inscriptione in Aesculapio Atheniensi eruta manifestum fit: ἐπειδὴ πάτριόν ἐστιν τοῖς ἰατροῖς, ὅσοι δημοσιεύουσιν, θύειν τῶι Ἀσκληπιῶι καὶ τεῖ Ὑγιείαι δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ὑπέρ τε αὑτῶν καὶ τῶν σωμάτων ὧν ἕκαστοι ἰάσαντο ἀγαθεῖ τύχει δεδόχθαι τεῖ βουλεῖ κτλ. (nr. 3 vs. 9sqq. — cf. P. Girard l. l. p. 85). Sed quid consilium quingentorum in hac re rogaverit, lapide fracto non exstat, nisi forte sumis sacrificia, quae antea medici publici sua sponte et more patrio fecerunt, aliquo modo sancta esse a re publica. Constat autem medicos Atheniensium publicos una omnes in publicum prodiisse et sacra pro salute sua et eorum quibus medicabantur fecisse. At tamen proprium collegium medicorum publicorum fuisse ex hoc titulo sumi non potest.

Fuisse autem apud Graecos collegia medicorum iam ex eo apparere existimaverunt viri docti, quod nominibus medicorum vocabulum officii ἰατρός in titulis additum sit; ordinem

---

1904, 69. Sed cf. Altmann, AM. 1904, 180). Simillimae enim sunt translationes Ἀκείλιος ἰατρῶν πρόμος pro Ἀκείλιος ἀρχιατρός et Ἑρμῆς ὁ πρὸ πυλῶν pro Ἑρμῆς προπύλαιος.

autem nomini adiunctum in titulis Graecis ante Romana tempora eam habere vim, ut socius collegii alicuius declaretur (U. Koehler AM. X 77; E. Ziebarth, *Griech. Vereinswesen* 96sqq.). Sed res incertissima est, et tituli θίασον vel κοινόν aliquod τῶν ἰατρῶν exhibentes nondum inventi sunt.

In urbe Co, cum multi fuerint medici, hos aliquo modo in collegii corpus coaluisse putares. Quod tituli quodam modo demonstrare videntur. In titulo Coo nuper reperto locus nominatur εἶ τοὶ ἰατροὶ τάσσονται (nr. 17). Quibus ex verbis locus elucet, quo medici vel publici vel omnes coibant, ut res communes inter se expedirent. In alio titulo quarti a. Chr. saeculi non multo post urbem traiectam, ut videtur, fasti sacri Coorum leguntur (nr. 20): quibus diebus ad quas aras sacra facienda sint et quo ritu, et quibus hominibus in quoque sacrificio caro et cetera victimarum obtingant. Vicesimo autem die mensis Batromii Iovi Polieo bos immolandus erat, cuius quae partes in ara non comburebantur imprimis pontifici et sacricolis tradendae erant, tum aliis hominibus: Νεστορίδαι[ς] ν[ώτ]ου δίκρεας· ἰατροῖς κρέας· αὐλητᾶι κρέας· χαλκέων καὶ κερα[μέω]ν ἑκατέροις τὸ κεφάλαιο[ν· τὰ δὲ ἄλλα τὰ κρέα τᾶς πόλιος· ταῦτα δὲ πάντα] ἀπ[οφέρ]ετα[ι] ἐκτὸς το[ῦ τεμένευς] vs. 53—56, in quibus extrema suppleta sunt ab Ioh. de Prott, *Fasti sacri* p. 20). Illo igitur die medicis portio simplex carnis hostiae obveniebat. Cum autem inter ceteros gens una vocetur, qui nominantur ἰατροί, χαλκεῖς, κεραμεῖς collegia esse videntur (cf. Ziebarth l. l. 97), quibus quod negotium cum Iove Polieo fuerit apertum non est. Sed cum non intelligatur, cur χαλκεῖς et κεραμεῖς a re publica conducti sint, collegia omnium opificum aut artificum hic nominata esse verisimile est.

Hae res incertae, utut se habent, aevo quidem Romano certum collegium medicorum nominatur (Wood, *Discov. at Ephesus* App. 7, p. 8 nr. 7): Ephesi enim M. Pomponius Boro medicus sarcophago, quem sibi et coniugi vivus fecit, haec in fine inscribenda curavit: τῆς σοροῦ κήδονται τὸ συνέδριον, οἱ ἐν Ἐφέσῳ ἀπὸ τοῦ Μουσείου ἰατροί, οἷς καθιερωσάτην (ipse et coniunx) εἰς κλῆρον — — (sequitur summa quaedam). Qui medici Ephesii firmum, ut patet, habebant collegium.[76])

---

[76]) Hoc opusculo magna ex parte iam prelo mandato tituli medicorum autumno a. 1904 Ephesi eruti publici iuris facti sunt (J. Keil, Wiener Jahres-

Sed de collegiis medicorum publicorum nihil comperimus, neque quicquam dici poterit, nisi novi tituli inventi erint.

---

hefte VIII (1905) p. 128 sqq.). Qui ad synhedrium supra laudatum (οἱ ἐν Ἐφέσῳ ἀπὸ τοῦ Μουσείου ἰατροί) pertinent (a vs. 9) et firmum id collegium fuisse in clara luce reponunt, cum magistratus eius commemorent (ἄρχων a vs. 2; γυμνασιαρχῶν τῶν ἰατρῶν ταῖς τοῦ ἀγῶνος δυσὶν ἡμέραις passim). Museum autem non Alexandrinum est, ut antea cum aliis existimavi, sed Ephesium esse alius titulus Ephesius ab Keilio editus demonstrat (p. 135: οἱ περὶ τὸ Μουσεῖον | παιδευταὶ Π. Οὐήδιον | Ἀντωνεῖνον ἀσιάρχην κτλ.). De re ipsa, certaminibus medicis ab collegio illo quotannis propositis, videas, quae exposuit Keil l. l. p. 133 sqq. Nos nonnullas nunc adnotamus res, quae eis, quae supra explanavimus, usui sunt. Commemoratur fragm. a vs. 4 aliquis ἀρχιατρὸς τὸ δʹ. Qua re moderantur, quae supra p. 54 existimavimus, quamquam eodem fere tempore, quo hi tituli exarati sunt (altero p. Chr. n. saeculo), in ipsa urbe Epheso Attalus Priscus est ἀρχιατρὸς διὰ γένους (nr. 65). Medici publici Athenis saeculo a. Ch. n. tertio bis quotannis Aesculapio immolabant (v. p. 79), collegium medicorum Ephesiorum in Museo eruditorum quinque saeculis post diebus feriatis idem fecit (a vs. 9 sqq.). Tum p. 78 sq. familias nonnullas medicorum aevi Romani ostendimus. Quibus nunc familia P. Aelii Menandri archiatri adiungi potest, cum duo filii eius inter medicos praemio ornatos nominentur (d vs. 1 sqq., e vs. 1) et alius fortasse propinquus (g vs. 3 sqq.). Denique quoniam in titulis illis archiatri multi praemium certaminis abstulerunt (a vs. 6, 7; b/c vs. 5; e vs. 2; f vs. 1; h passim), archiatros sive medicos publicos inter medicos optimos fuisse comprobatur (cf. p. 50, 77).

INDEX TITULORUM ET PAPYRORUM.

VITA.

Natus sum Rudolfus Pohl Berolini die XXIV. mensis Octobris a. 1879 patre Augusto matre Augusta e gente Mahn. Fidei ascriptus sum evangelicae. Adii novem per annos gymnasium Luisianum Berolinense et inde autumno a. 1897 testimonio maturitatis instructus Berolini inter cives academicos Almae Litterarum Universitatis Fridericae Guilelmae receptus sum. Ibi studiis me dedi philologicis archaeologicis epigraphicis historicis. Examen rigorosum sustinui die II. mensis Februarii.

Docuerunt me viri clarissimi R. Delbrueck, Diels, Dilthey, Frey, Graef, Goldschmidt, Harnack, Huebner †, Kalkmann †, Kekule de Stradonitz, Koser, Kuebler, Muench, E. Pernice, Pfleiderer, Paulsen, Roloff, E. Schmidt, H. A. Schmidt, J. Schmidt †, Simmel, Stumpf, Tobler, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff, Winnefeld, Woelfflin.

Ad exercitationes me admiserunt philologicas proseminarii Berolinensis Diels, de Wilamowitz-Moellendorff, Heinze, Helm, historicas et historico-geographicas Hirschfeld, Sieglin, archaeologicas et historiae artis Kekule de Stradonitz, Kalkmann, Graef, Woelfflin, epigraphicas Dessau, Winnefeld, palaeographicas H. Schoene, papyrologicas P. M. Meyer, philosophicas Paulsen, paedagogicas Muench.

Quibus omnibus viris plurimum me debere grato ac pio animo profiteor, gratias autem quam maximas habeo et semper habebo Renardo Kekule de Stradonitz, qui summa cum benevolentia et humanitate me amplexus est, cum per septies sex menses exercitationibus eius interessem et ab eo per idem tempus apparatui archaeologico praepositus essem, et Udalrico de Wilamowitz-Moellendorff, quo auctore et adiutore liberalissimo haec studia confeci.